rarum eſt huc uſque nefarios eſſe, ſed nonne ad tantum facinus accedit, qui recentem nanciſcitur voluptatem cum alios ad crimen ſollicitat, & qui potuit innocuam animam corrumpere, vel cor Deo devotum in ſcelus pertrahere? Non deſunt, Auditores, qui nullo habent in diſcrimine communem perverſionem, & qui contenti non ſunt improbitate ſua, niſi ſcandalum ſuum in ipſum uſque ſanctuarium intulerint. Sed hæc monſtra relinquamus, quorum abominationem jam execramini. *Idem.*

Scandalum præbemus etiam præter intentioné.

Non deeſt alia ſcandali ſpecies ſuperiori vulgatior, cum videlicet, quin directa adſit intentio corrumpendi mores fratrum noſtrorum, ipſis præſentibus vel ſollicitationibus, vel conſiliis fit id, quod per ſe cor illorum corrumpere poteſt, vel ſeducere; ſed vereor iterum adhuc dicere: *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit*: Væ illi, cujus imitatio contagioſa eſt fratri ſuo. Quorſum hoc? quia dupliciter nocens eſt in oculis Dei, & criminis, quod committit, & ſcandali, quod præbet. Infelix, quod ſibi ſoli improbus eſſe nequit, ſed duo uno ex ictu vulnera infligit, alterum cordi ſuo, alterum cordi fratris ſui, cujus ille rationem redditurus eſt coram Deo. Non ſatis eſt illi peccare contra continentiam, temperantiam, vel modeſtiam, peccat etiam contra charitatem. Crudelis tibi ſatis non eſt inutile in te efficere pretium ſanguinis Dei, illud etiam in fratris tui corde facis inutile? At enim mihi voluntas non eſt illum depravandi, ſua illum perdit ignorantia: *Ergo peribit infirmus in ſcientia tua frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt*, S. Paulus 1. ad Cor. 8. reſpondet. At non videbas, ingrate, futurum, ut facinus tuum illum in ſcelus poſſet pertrahere? *In tua ſcientia*. Non videbas illum infirmum eſſe æque ac tu, ex eodem concretum ſanguine ac tu, iiſdemque cupiditatibus obnoxium? *Frater*. Tenerum fratris nomen, quod illum tibi religionis vinculis conjungit, nonne ad miſerationem inflectere debebat cor tuum, ne tantum illi inferres excidium? *Frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt*. Impie! auſus es ergo obicem ponere conſilio, quod de illo conceperat Deus, & hujus mortis effectum annihilare? Hæc ſine te efficax erat futura. Abi, miſer, eſto corruptor fratris tui, cum velit Deus illius eſſe Redemptor .... At enim imputet ſuæ imbecillitati interitum ſuum. Heu! immo quia infirmus eſt, illius ratio habenda tibi eſt; numquid fortibus, generoſiſque animabus ſcandalum noxium eſt? Animæ illæ quæ per ſtatum ſuum tibi, Chriſte, adhærent, & quas diuturna experientia in tuæ legis amore confirmavit, nihil habent, quod ſibi timeant ab externa perſuaſione; ideoque has ſcandala non ſeducunt; ſed virorum contagio inconſideratam enecat juventutem, ſexum infirmiorem, vanas mulieres, quas mentis diſſipatio minus reddit attentas. Infirmus licet ſit, quantum tibi libitum fuerit, ne hujuſmodi infirmis ſcandalum afferas, prohibet Jeſus Chriſtus: *Si quis ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis*. Matth. 18. Proh Superi! tantane in chriſtiana juventute corruptio videretur, niſi ſcandalum prima rationis ſemiformatæ momenta vitiaſſet: neque cor eorum mollire incœpiſſet, antequam adoleſcentes vel ſatis fortes eſſent, ut tela poſſent eludere, vel ſatis liberi, ut ſe inde præſervare valerent? *Idem.*

Scandalum noxias facit actiones, quæ per ſe culpa vacare poſſent.

O Deus! quam labem ſcandalum non effundit ſuper eas vitæ noſtræ circumſtantias, quæ culpa vacare videntur? Commercium, quod cum perſona hac ſexus diverſi foves, nihil aliud fortaſſe eſt niſi ad tempus tenendum inanis occupatio; ſed male audit, & in improbum ſenſum illud obtrectatio detorquet; materia eſt, quam ſcandalum corrumpit, & abſtinere teneris. Amor, quo videris proſequi eos, qui ſunt parum religioſi, vel in fide ſuſpecti ſunt, fortaſſe eo non procedit, ut in eorum migres ſententiam; ſed crederis nimium ipſorum erroribus adhærere, vel nimis arctam cum illis neceſſitudinem conjunxiſſe, ab illis tibi recedendum eſt, quia hoc pacto tribuis ſcandali occaſionem. *Idem.*

Difficile eſt eum, qui ſcandalum præbet, converti ac reparare malũ quod peperit.

Ad ſinceram, veramque converſionem non ſatis eſt relinquere peccatum, & flagitia ſua abdicare, ſed præterea reparandum eſt malum, quod factum fuit. Sed quomodonam reparari poteſt clades, quam in urbe, vel provincia ſcandala pepererunt? Raptum reſtitui poteſt bonum, honor per obtrectationem imminutus reparari poteſt publice palinodiam canendo; hoc ratum eſt, ſatiſque difficile, ſed tamen fieri poteſt: inflicta curari poſſunt vulnera; verum reddine poteſt innocentia, pietas, Dei amor illis, qui cauſa noſtra rerum harum jacturam fecerunt? Delerine poteſt turpis macula, quæ propter inſignia ſcelera familiæ, profeſſioni, ſtatui, corporique, cujus membra ſumus, inſedit? Numquid ſatis erit cauſari, nos funeſtos hujuſmodi exitus non præſenſiſſe, neque nobis umquam hanc incidiſſe mentem tot mala gignendi? Triſte ſolatium! deplorabilis excuſatio, ubi undequaque ignibus admotis omnia conflagraverint, poſſe dicere, non hanc nobis fuiſſe voluntatem. Malum num ideo levius eſt, num ideo malum eſſe non perſeverat? *Sermo manuſcriptus.*

Vir mali exempli.

Conſuetudinis torrens nos trahit, & ſanioris hominum partis exemplum has vias proterentium nimis valida eſt ad nos in iiſdem continendos. Factum ibi probatum videtur auctoritate illorum, quorum meritum, atque dignitatem veremur; illi ipſi, qui majori zelo graviſſima inſectantur vitia, ſæpe magno pollent ingenio ad nobis probandas eas opiniones, quas ſequimur. Noſmet ad eorum conſilia, & ſapientiam formamus, nec videmus, ſapientes hos, quos ſequimur, minus eſſe in via ſalutis duces, quam errorum noſtrorum ſocios. *Auctor Anonymus.*

Graviſſimum hominis malum, qui Dei timorem amiſit, eſt peccare tuto, ſine ullis conſcientiæ ſtimulis, ſine mentis tumultu, quin Dei judicia, & inferni pœnas reformidet. Hoc illud eſt abominabile malum, contra quod divina juſtitia per hos Iſaiæ c. 3. profert anathema: *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt, nec abſconderunt*. Fecerunt id, quod æternis obruendum erat tenebris, ac illud in lucem protulere; illud prædicarunt tamquam illuſtre factum, licet eadem eſſet infamia; inaudita vanitate ſibi in jactantiæ argumentum converterunt, quod illos opprobrio, & confuſione ſuffundere debebat: *Væ homini illi, per quem ſcandalum venit*. Matt. 18. Væ impudentiæ adeo deteſtabili. *Ex moralibus ſermonibus, ſermone de timore Dei.*

Scandalum dici poteſt ars afferendi mortem animabus.

S. Cyprianus barbaram hanc antiquorum conſiderans conſuetudinem producendi in ſpectaculum Gladiatores, qui in amphitheatris ſeſe mutuis vulneribus confodiebant daturi crudelem populo oblectationem ſanguinis, vitæque ſuæ ſumptibus, & qui ſe ipſos in hac arte funeſta exercebant, *Occidere homines*, ajebat, *ars eſt, ludus eſt, uſus eſt*. Heu! dicere poſſumus, nunc in mundo eſſe artem animas occidendi; quid enim aliud eſt hæc ars in mulieribus ſeſe comendi, exornandi, fuco liniendi, quotidie recentes, indecoroſque veſtimentorum ritus inveniendi, alteram diei partem inter calamiſtros, alteram vero in virorum cœtibus traducendi? Niſi ars inferendi mortem animabus per ſcandalum, quod præbent; *Occidere homines ars eſt*. Hæc faciunt ornatus illi, quos tanta pompa, & luxu explicant; hoc nuditates illæ non ſine ſcandalo intuentium, hi agendi modi, qui nimium hilares, ac liberi ſunt, &c. *Auctor Anonymus.*

Ingens malum, quod ſcandalum parit.

Qui ſcandalum præbent inter nos non prodeunt, niſi ad inſtar horribilium cometarum quocumque luem, & corruptionem afferentium. Inhumani filii perſequentes eccleſiam, quæ peperit illos, & Chriſtianos fecit, veri hæretici morum, qui eccleſiam male vivendo magis affligunt, quam hæretici impia dogmata proferendo, inquit S. Bernardus: *Quod hæretici faciunt per prava dogmata, hoc faciunt plures hodie per prava exempla*. Obnitamur contra funeſtum hunc mali exempli torrentem, contra quem tanto impetu S. Auguſtinus exclamat: *Væ tibi flumen moris humani*. Noſmet opponamus pravo principum virorum exemplo, qui corrumpunt puſillos auctoritate ſua vitium probantes; doceamuſque fideles, ut contra generalem morum corruptionem ſe ipſos confirment. *Auctor Anonymus.*

Quodnam ſit ſcandalum periculoſum.

Sæpe decipimur in idea, quam ipſi concipimus, ſcandalorum, quæ horrorem cient, & quæ ab univerſo mundo damnantur; ſed quæ nequaquam ſunt præ cæteris magis periculoſa. Scandalum cognitum, damnatumque non magnum adfert detrimentum; cum enim probatum non ſit, nequaquam in interitum trahit eos, qui ſcandalizantur; ideoque pro illis proprie ſcandalum non eſt. Magna ſcandala ea ſunt, quæ cum ſint abdita, & magis communia, plures animas impellunt in præceps, cujuſmodi ſunt luxus, amatoriæ nugæ, ſermones nimis liberi &c. *Idem.*

Enormitas ſcandali.

Quod Chriſtianus non audeat profiteri ſe pro Jeſu Chriſto ſtare, ignavia eſt; ſed quod pro dæmone ſe ſtare palam oſtentet, ac ſe præbeat nequitiæ illius inſtrumentum, ut cum ipſo conſpiret ad perdendas animas, quas Salvator ſanguinis ſui pretio redemit, hoc profecto horribile videtur, & hoc illud eſt, quod facit, qui ſcandalum præbet. Hoc facere nonne eſt ſe Jeſu Chriſti perſecutorem oſtendere? Nonne hoc eſt ponere in loco ſancto deſolationis abominationem? Auderetne aliquis dicere, ſcandalum præbenti majorem ineſſe vim ad animas perdendas, quam Jeſu Chriſto ad ſalvandas? & pravum exemplum plures damnaſſe, quam mors, ſanguis, merita J. C. ſacramenta, ubi illius merita applicantur, ſalvos fecerint? Si Jeſus Chriſtus habet ſacramenta ſua, quæ ſunt fontes gratiarum, noſtræque ſalutis inſtrumenta, dæmon, S. Aug. inquit, habet ſua, quæ ſunt fontes peccatorum in hominibus, & inſtrumenta damnationis eorum. Mala exempla, laſcivæ tabulæ, libri pravi, impuri ſermones, inhoneſtæ cantiunculæ, periculoſa ſpectacula, ubi a videntibus crimen perdiſcitur, impii flagitioſorum hominum ſermones, nuditates, & immodeſta puellarum, mundanarumque mulierum ornamenta, earum vel nimium liberi, vel nimis adfectati mores, exempla hominum alioquin gravium ob eorum dignitatem, atque auctoritatem pondus habentia, ſunt quodammodo dæmonis ſacramenta. *P. Nepveu tomo tertio conſiderationum chriſtianarum pro duodecima die Septembris.*

Malum eſt aliquid facere, quod per ſe neutrum eſt, & ſine intentione, quæ mala ſit, ex quo animæ infirmæ ſcandalum præbet: quid erit ergo malam facere actionem, eamque facere animo proximum in vitium pertrahendi? Scelus eſt inimicum odiſſe, eumque non amare, quid erit ergo perdere innocentem, fratrem tuum, atque amicum? Si cauſa es damnationis illius, ille pariter erit tuæ; ſi illum in infernum præcipitem trudis, ille te ſecum trahet; ſi fuiſti interitus illius inſtrumentum, certiſſime ejuſdem ſocius eris. Illius interfector fuiſti magis crudelis, quam ſi vitam corporis abſtuliſſes, quandoquidem æternam illi vitam abſtuliſti; ipſe igitur in inferno erit æternum carnifex tuus. *Idem.*

Injuria, quæ per ſcandalum fit proximo, & ipſi etiam Salvatori.

Si proximi tui bona rapuiſti, nulla tibi ſalus ſperanda eſt, niſi illa reſtituis. Proximo tuo ejus innocentiam rapuiſti, charitatem, Dei gratiam, ſimulque Cœlum, æternamque felicitatem; quomodo illatum illi damnum reparabis? Quomodo veniam ſperare poteris? Quomodo ſalutem conſecuturum putas, niſi illam fueris operatus? JESU CHRISTO eripuiſti animas, quæ illi erant chariſſimæ, quæ illi toto ipſius ſanguine ſteterunt: quantum dolorem eidem afferre putas hanc injuriam; & credis te ab illo aliquam obtenturum gratiam, niſi eam reparaveris? Illi exultantis lætitiæ impetus, quos ob receptam, quæ deerraverat, ovem teſtatur Salvator, efficere debent, ut æquum judicium feras de illius dolore ob ejus interitum; putaſne illum paſſurum, ut impunis abeat injuria, qua tantopere læditur? An potius dubitare potes, quominus ultio illius par ſit futura dolori ſuo in tantæ cladis auctorem? Sin autem te fontem intelligis, quomodo ita ſecurus, ac tranquillus es? *Idem tom. 1.*

Propenſio, qua homines ad alios imitandos feruntur.

Quid non poteſt naturalis hæc illecebra, qua nos agi cognoſcimus ad aliorum exempla imitanda? Quid non poteſt falſa hæc æmulatio, qua impellimur ad alios ſequendos, & imitandos in iis omnibus, quibus in mundo excellunt, & nitent? Si igitur illi nobis vitii indigitant viam, ſi nos ſuis ſermonibus in eamdem invitant, ſi pertrahunt exemplis, ſi a nobis exigunt noxiam hanc indulgentiam; ſi in hoc commentitiam ipſi gloriam conſtituunt, ſi inde pendere putant exiſtimationem, vel etiam gratificationem ſuam, quot hæc tentatio ſeducet? Vos, dilectiſſimi Auditores, mundum ſatis noſtis, ac melius, quam ego, noſtis illum, vòſmet, veſtramque conſulite experientiam. Scitis quid illi ſacrificetur, quomodo cenſura illius timeatur, quomodo eidem placere omnes adnitantur, & quomodo ejus probatio requiratur. Ex hoc ſcandalo, quemadmodum S. Bernardus animadvertit, omnia fere proveniunt mala, quibus noviſſimis hiſce temporibus affligitur eccleſia, & hæc morum diſſolutio, quam videmus, & quam ſatis deplorare non poſſumus. *P. Bourdalove in veris ſermonibus, Sermone de humano reſpectu.*

De ſcandalo, quod ſummi, nobileſque viri præbent, & ii qui habent auctoritatem.

Patres, Matreſque, quæ filiis veſtris mala præbetis exempla, quam Deo rationem eritis reddituri? crudeles interfectores eorum, quorum parentes eſtis, & quibus corporis vitam tribuiſſe videmini, ut vitam animæ auferatis. Sed quam hac in re principibus præſertim viris metuendum eſt! Pravum principis exemplum eos habet effectus, qui nonnumquam neque in vita, neque in imperio illius continentur. Principum peccata ſunt peccata originalia, quæ infelici fœcunditate multiplicantur, ac funeſta perennantur immortalitate. Sæpe in eorum, qui hæc mala gignunt, poteſtate non eſt, hæc mala vel compeſcere, vel reparare; & impoſſibilitas, quæ prænoſci potuit, & quæ evitanda fuit, illos coram Deo excuſabit? Heu! princeps, pater familias, herus, ne cogitantes quidem ſæpe congregant ſibi theſauros iræ, qui in caput eorum, ubi minus cogitaverint, ingruent; etenim hic ſubditus, hic filius, hic famulus, quos ad peccatum impulere vel exemplo, vel tolerantia, illis peccant: illi nocentes ſunt, illi ſunt rationem reddituri. Illud vero maxime terribile eſt, quod congregant ſibi funeſtum hunc peccatorum, ultionumque theſaurum, tunc etiam cum nihil mali facere videntur, ſed longe terribilius hoc eſt, quod illum etiam poſt mortem congregare non ceſſant; & quidam in purgatorio verſatur, quidam eſt in inferno, qui adhuc in terra peccant eorum miniſterio, quos exemplo ſuo ad peccandum impulerunt: hi peccant adhuc illorum ſumptibus, & fortaſſe illi pœnas ſuas augeri ſentiunt, prout hi ſua iterant ſcelera. *P. Nepveu in chriſtianis conſiderationibus.*

Deus a nobis repetet rationem animæ fratris noſtri, quam ſcandalis noſtris perdiderimus.

Si Deus petiturus eſt rationem animæ proximi tui, niſi illum erudieris, niſi alueris, niſi correxeris, quid tandem erit, ſi illum pravo exemplo corrupeeris, atque, ut damnaretur, effeceris? Pravus liber commodatus, laſciva tabula expoſita, ſermo impurus, impius, maledicus, mulier parum modeſta ſcandalizat proximum; hoc eſt ſcandalum datum, receptumque; frater tuus perit, ac damnatur: quis rationem Deo redditurus eſt, niſi qui cauſa fuerit ruinæ illius? *P. de la Colomb. in chriſtianis conſiderationibus.*

Minima etiam obſervanda ſunt, quæ poſſunt proximo ſcandalum afferre.

Unum ſufficit verbum, oculorum conjectus, immodeſtus geſtus ad infirmo alicui ſcandalum ingerendum, & accendendum in corde illius ignem, & incendium, quod numquam poſſit extingui. Ita magnificum Jeroſolymæ Templum, opus tot regum, maximum, locupletiſſimum, ſuperbiſſimumque ædificium, quod hominum pietas divinæ extruxerit majeſtati; ita inquam auguſtum illud ſanctuarium incenſum fuit, ac prorſus abſumptum. Gregarius miles, qui in oppugnatione, qua Titus Imperator Jeroſolymam cepit, turrim conſcenderat, ardentem contorſit facem in templum illud. Ignis ſtatim adhæſit tanta pertinacia, ut non potuerit extingui. Nihil prætermiſerunt Judæi, ut illud incendio liberarent, ad quod ipſe Imperator totius exercitus ſui vires adhibuit, fluvii, fonteſque exhauſti ſunt, ut aquæ opponerentur flammis, quas tæda una excitaverat; ſed incendium numquam deſtitit, totumque templum conflagravit. Hæc eſt imago malorum, quæ in anima ſcandalum parit. Anima hæc ornata gratia, & donis Spiritus ſancti, electa a Deo, ut ſit templum ipſius, ſtatim ac per oculos, vel aures impuri ignis ſcintillam hauſit, illico in corde excitantur flammæ, quæ nequeunt extingui &c. *Idem.*

Mirum eſſe non debet, ſi bonæ actiones aliquando ſcãdalum afferant.

Virtuti hoc eſt cum vitio commune, quod ſæpe inde ſcandalum ſumitur. Sed hoc diſcriminis intereſt quod vitium ſanctis ſcandalum adfert, cum e contra impii ex virtute ſcandali occaſionem arripiant, eamque audeant damnare. Homo juſtiſſimus etiam, ſanctiſſimuſque mirum ne cenſere debet, ſuam vivendi rationem improbari, poſtquam J. C. vita impiorum cenſuram evitare non potuit? Quoties Phariſæi palam Jeſu Chriſti facta, dictaque improbarunt? Hoc idem fuiſſet, ac iſthmum perfodere velle, adniti his injuſtis, & inimicis hominibus ſatisfacere. Dei filius ſemper ſecutus eſt regulas, quas ipſe ſibi præſcripſerat, quin illi negotium faceſſerent inimicorum dicteria, & querimoniæ. Quid reſpondit ille diſcipulis ſibi nunciantibus, quod Phariſæi ex illius ſermonibus ſcandalum perceperant? Sinite illos, ait, cæci ſunt, & duces cæcorum. Ita queruntur homines, quod ſolitariam vitam ducis, quod illorum opiniones improbas quod majorem habes rationem evangelicarum legum, quam legum, & conſuetudinum mundi; ſine illos, cæci ſunt. Cum homines inſurgent in te, quia ſumma officii fide munere tuo perſungeris, malum non labetur in te, ſed in eos, quibus injuſte vitæ tuæ ratio ſcandalum dederit. *Lambert in anno evangelico Homilia 83. tom. 7.*

Quinam exprimere poſſet magnitudinem peccati hominis alicujus potentis, qui cæteros dignitate præſtans illos ad virtutem deberet impellere exemplo, atque auctoritate ſua, & qui e contra ſinit graſſari vitium, illius curſum cohibere non curat, & ipſum prava vivendi ratione probare videtur? Quos progreſſus licentia non habet, cum illi nullum injicitur frænum, ſed tali probatur exemplo? Verum quid fiet de hujuſmodi mortalibus tanta præditis auctoritate, qui adeo perniciose ſibi credita poteſtate abutuntur? Rei erunt non ſolum ſuorum peccatorum, ſed alienorum etiam, quibus flagitioſo vivendi genere locum præbuerunt. Regula hæc ſpectat ad parentes, qui ſunt occaſio lapſus filiis ſuis ſæpe pravo exemplo, nonnumquam etiam pernicioſo conſilio. Regula hæc ad omnes perti-

pertinet ſuperiores, & eos omnes, qui aliquam in alios obtinent auctoritatem; pertinet etiam generatim ad omnes fideles, qui aliquam habent poteſtatem; quippe rationem reddituri ſunt peccati fratrum ſuorum, cum illum non prohibent, vel illi aliquid ſua conferunt indulgentia. Merito igitur terror incedit animo reputanti ſententiam, quam Salvator protulit, cum ait: *Væ illi, per quem ſcandalum venit*. Idem.

Scandalum Eccleſiæ majus infert damnum, quam olim tyrannorum perſecutio.

Ipſi ſcandalis noſtris majus eccleſiæ damnum inferimus, quam tyranni olim perſecutionibus ſuis eidem attulerint. Perſecutiones, quibus Chriſtiani angebantur, fidelium augebant numerum. Martyrum ſanguis ſemen erat; ideoque Tertullianus tyrannos irridebat dicens, quo plures ab ipſis necabantur, eo magis eorum numerum multiplicari. Sed prava exempla noſtra fidelium numerum delent, & imminuunt . . . . Dicere poſſumus re ipſa flagitioſam cujuslibet Chriſtiani vitam ſingillatim eccleſiæ injuriam afferre; hujus opprobrium eſſe, fæcunditatem impedire, ac magnum obicem ſtatuere converſioni Ethnicorum, Hæreticorum, & peccatorum derelictorum. Etenim quamvis eorum ſcandala nihil imminuant ſanctitatem eccleſiæ, quæ in inſtitutis, myſteriis, & diſciplina ſua ſemper ſancta eſt; homines tamen vix ſibi perſuadent, religionem adeo ſanctam eſſe, cum qui profitentur illam, religionis ſibi minime vertunt in omnem impietatem, omniaque ſcelera proruere. *Auctor ſermonum chriſtianorum ſermone de reverentia eccleſiaſticis debita*.

Verba ſine exemplis iis, qui præſunt aliis.

Cujus ponderis eſſe poſſent verba, quæ quotidie de cathedra veritatis annunciamus, atque ea morum præcepta, quæ contra luxum, libidinemque jactamus? Quæ fides haberetur conſiliis, quæ in tribunalibus pœnitentibus, ſi luxum, atque impudicitiam in ipſum uſque ſanctuarium inferremus? Quibus rationibus uteremur, ut populis oſtenderemus obligationem, qua ad virtutem exercendam, fugiendumque vitium tenentur, ſi nos, qui peculiari modo virtutis characterem, & vitii horrorem præ nobis gerimus, mira inverſione virtutem quidem perhorreſceremus, vitium autem diligeremus? . . . Similiter cum matrona aliqua, quæ quotidie accedit ad ſacramenta, ac inceſſanter inviſit xenodochia, non ideo tamen vanitatis, nugarumque amatoriarum affectum relinquit, quantum removet ab omni pietatis ſenſu perditas animas, quæ fortaſſe converti vellent, & quæ pravo illius exemplo prohibentur; Qui cum vident tot flagitia cum tanta Sacramentorum frequentia; cum vident, JESU CHRISTI miniſtros tanta diligentia contendere, ut placita Belial cum evangelicis legibus concilient; cum tantam vident impietatem in illis, qui ipſis præclara virtutum exempla præbere deberent; nonne tunc animæ iſtæ deviæ, erranteſque ratiocinari incipiunt, ac dicere intra ſe: ſi qui adeo eximia proferunt documenta, qui toties ſacris reficiuntur myſteriis, vitam ducunt adeo corruptam, ne illi quidem credere non videntur, quod dicunt; atque tot veritates, & adeo præclara præcepta non ſunt ad ſalutem neceſſaria? Atque hoc pacto ratiocinati decernunt in vitæ ſuæ genere perſiſtere, in impudicitiis ſuis volutari, quin attendant, ſe non ideo juſtificatum iri; Salvator enim dicit illis in evangelio: facite quod vobis dicunt, non id quod faciunt. *Idem*.

Sequimur potius malum exemplum, quod ſummi viri præbent, quam bonum:

Fatendum eſt hominum proclivitatem ad id, quod vident, imitandum multo majorem eſſe in malum, quam bonum; quia tunc accedit naturæ corruptæ pondus. Celerius deſtruitur ſimulacrum, quam fit; & ſimiliter citius in anima ſcandaloſo vivendi genere J. C. imago deletur, quam bono vitæ ædificantis exemplo formetur. Hoc autem præſertim accidit in exemplo, quod illi præbent, quorum inſignia ſunt merita & qui præ cæteris nitent; quippe non docent ſolum peccare, ſed etiam auferunt verecundiam peccato inhærentem, quæ tutiſſimum erat vallum, quo prohibebatur, ne ſe extrinſecus effunderet. Exemplum profecto plurimum confert ad hoc, ut vitium ſeſe latius effundat, cum qui in hoc labitur, ejus ordinis, & characteris eſt, qui reverentiam conciliat. Tunc enim vulgo dicitur; ſi eccleſiaſticus iſte, qui quotidie ad aras accedit, flagitioſe vitam traducit; ego, qui cum ſæcularis ſim, bis in anno ad eaſdem minime accedo, nonne potiori jure eamdem mihi vindicare debeo licentiam? Superiorum flagitia ſunt excuſationis loco criminibus inferiorum, atque ſunt invitatio quædam ad malum; & ſcandalum, quod ille præbet, cui ſumma auctoritas eſt, eſt veluti immane ſaxum de ſummo cacumine montis lapſum, quod obvium quodlibet ſecum trahit. Ita nihil hoc malo terribilius poteſt videri. *P. Segneri in Praxi curatorum cap.* 12.

Ferunt, S. Petrum facie ad iram, & indignationem compoſita olim apparuiſſe eccleſiaſtico cuidam ſcandalum præbere ſolito, & in manu ejus impoſito libro, gravibus imperaſſe verbis, ut illum aperiret. Eccleſiaſticus librum aperiens in hæc incidit verba: *Quando reduces animas, quas tuo exemplo æterno ſupplicio demerſiſti?* Brevis hæc lectio ita illum perterruit, ut abdicans ſe beneficio ſuo in cænobium quoddam ſe contulerit, ubi reliquum vitæ ſuæ ſpatium pœnitentiam ageret horrori anteactæ vitæ parem. *Idem*.

Minæ, quas Dei filius intentat illis, qui ſunt aliis ſcandali occaſio.

Væ illi, per quem ſcandalum venit, ipſe Dei filius inquit. Si anathema hoc eſt terribile contra ſcandala generatim, quanto graviori pondere ruet in eccleſiaſticum, in virum, cui aliorum cura commiſſa eſt? Et ſane quot ille mortes ſcandalo ſuo non meretur? Tot procul dubio, quot animas pravo perdidit exemplo. Quod ſi hujuſmodi minæ tamquam inanes putantur, non ſecus ac domeſticis Loth eæ videbantur, quas ipſe illis portendebat: *Viſus eſt eis quaſi ludens loqui*: Gen. 29. nonne nunc etiam accidit, quod tunc ſcimus accidiſſe? Repente abſumpti ſuere flammis, quas Loth illis prædixerat, & ne momentum quidem temporis habuerunt, quo ſuam, non dicam plorare, ſed ne agnoſcere quidem poſſent incredulitatem. Quanti igitur intereſt adeo funeſtam evitare indocilitatem? Si ſcopulus fuiſti, in quem animæ alliſæ naufragium fecere, feſtina, ut ſias tutus ſalutis eorum portus; repara tempus, quod ſermonibus, vel actionibus tuis inordinatis adeo miſere perdidiſti; præbe in temet exemplum pœnitentiæ, quod ſuperet pravum, quod præbuiſti, exemplum. Hæc unica ratio eſt formidabilem illam præveniendi ſententiam: *Qui decipit juſtos in via mala, in interitu ſuo corruet*. Prov. 18. *Id*.

Peccator publicus, & ſcandalum præbens ſerius, ocyus exemplari ſupplicio punietur,

Non metuo, ne temere vobis terrorem incutiam; ſed cum peccatum veſtrum publicum fuerit, pro certo habere maledictionum, pœnarumque exemplarium torrentem vobis imminere. Serius, ocyus Deus palam inſignes repoſcet pœnas criminis veſtri. Juſtum quippe eſt, a Deo providentiam ſuam juſtificari, ipſumque mundo oſtendere, ſi permittit, ut ab improbis tot alii ſeducantur, ſe ſcire inde ultionem, cum eſt opus, repoſcere. O viri nobiles! Vos qui aliquam in mundo obtinetis dignitatem, hoc ad vos maxime pertinet. Quo majorem habetis auctoritatem, & quo pernicioſior fuit vita veſtra, eo majorem vim habuit, ut actionum veſtrarum teſtes traherent in ſcelus. Ita Deus maxime terribilibus pœnis iniquitatum veſtrarum pondus librabit, ut eos, quos exempla veſtra in ſcelus pertraxere, ſupplicii veſtri magnitudo deterreat. Nonne optimum eſſet conſilium capere vitam tam ſanctam ducendi, quam improba fuit, quam duxiſtis, ad terribilia ultricis juſtitiæ Dei fulmina evitanda? *Ex mſ. ſermone P. Stephani Chamillard.*

Scandalum præbentes vocari poſſunt dæmonis vicarii.

Qui pernicioſis exemplis ſcandalum præbet, publice tradit impietatis, licentiæ, contemptus divinarum legum documenta; quocumque graditur, effundit virus vitiorum, quibus additus eſt, & nefariis vitæ ſuæ, publiciſque ſceleribus videntibus ſe præbet lapſus occaſionem. Nonne hoc eſt ſe ipſum præbere miniſtrum, vicarium, & inſtrumentum dæmonis ad perdendas animas, eaſque in perditionis abyſſum pertrahendas? Hic enim irreconciliabilis hominum inimicus non ſemper ſuggeſtionibus ſuis fideles in crimen valens perducere improborum utitur miniſterio, ut virulentis eorum ſermonibus fallat, vel pravis exemplis corrumpat pietatem illorum; quos conatibus, doliſque ſuis non potuit evertere, ut S. Leo inquit: *Habet hoſtis antiquus multos, quorum ad alios decipiendos, & ingeniis utatur, & linguis*. De la Font.

Injuria, quæ per ſcandalum fit J. C. in fratrem reſilit.

Ne putes, S. Chryſoſtomus inquit, injuriam, quam infers proximo pravis exemplis tuis illi communicans virus, quo jam infectus es, in illo ſubſiſtere; in ipſum reſilit JESUM CHRISTUM, qui illum ſua morte redemit, & qui pro ſalute ejus in cruce animam voluit efflare. Videmus in mundo, quod famulum cædere fuſtibus, aut afficere contumelia, non eſt ſolum huic famulo injuriam inferre, ſed potiſſima injuriæ pars ad Dominum pertinet, idque præſertim ſi ille huic charus fuerit, & perjucundus. Cum autem JESUS CHRISTUS animas noſtras pretio adeo charo redemerit, nonne eſt illum inſigni afficere contumelia, has ex ipſius ſinu animas divellere, ipſiſque fieri lapſus, atque interitus occaſionem? Ita S. hic Doctor loquitur: *Ne opineris, quod damnum hoc ad eum, qui offenditur, ſolum pertineat, tranſit etiam ad Chriſtum ipſum, qui propter illum crucifixus eſt*. Idem diſcurſu pro ſexta poſt Pentecoſten Dominica.

Scandalum præbentes quodam in ſenſu erga J. C. magis crudeles ſunt, quam qui illum crucifixerunt.

S. Bernardus aſſerit, eos, qui pravis exemplis ſuis tentant juſtos, & infirmos in vitium perducunt,

res fieri ſceleris, quod ipſam Judæorum ſuperat nequitiam, & crudelitatem carnificum, qui Salvatorem crucifixerunt; hi quippe illius ſanguinem effundentes quodammodo cooperati ſunt ſaluti mundi, & redemptionis noſtræ operi; ſed ſcandalum præbentes funeſta exempli ſui contagione delent, & annihilant mortis hujus efficaciam, inanem, inutilemque efficiunt ſanguinis ejus effuſionem, auferunt illi animas, quas conjunxerat corpori, cujus caput eſt, tot laboribus, & opprobriis: *Si Dominus proprium ſanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, num ſibi videtur ab eo graviorem ſuſtinere perſecutionem, qui ſuggeſtione maligna, ſcandali occaſione, exemplo pernicioſo, avertit ab eo animas, quas redemit, quam ab illo, qui ſanguinem ſuum fudit?* Ita ſane; quia ſalus harum animarum ipſi propria vita charior eſt, graviorem, ac magis intolerabilem ipſi contumeliam inferunt, quam qui ex venis illius ſanguinem hauſerunt vi ſuppliciorum, atque cruciatuum; quia magis adverſantur, ne divina illius conſilia expleantur. Quod ſi Dei homines, Deique vicarii vocantur illi, qui, quantum in ipſis eſt, ſalutem animarum procurant, qui a Deo obſequuntur ea in re, quæ illi maxime curæ eſt; illi, qui fratribus præbent lapſus occaſionem, nonne dæmonis miniſtri, & organa poſſunt appellari? *Idem*.

Malum, quod eccleſiæ ſcandalum infert.

Si ſcandalum tantam infert Deo contumeliam, eccleſiæ profecto non adfert minora mala, neque cladem minus deplorandam; hoc malum eſt fermentum, quo brevi tota fidelium civitatis, vel provinciæ alicujus maſſa corrumpitur; malignus eſt vapor, qui ſeſe aliis, aliiſque communicans totam inficit regionem; lepra eſt, quæ cum aliquam corporis partem corruperit, brevi ad alias effundit, totumque corpus deformat. Verum hæc adhuc eſt tenuis imago inſignium malorum, quæ ſcandalum parit in eccleſia; omnem ſtatim illius fulgorem commaculat, omnem illius faciem deturpat; myſteriorum ejus ſanctitatem fidelium irriſionibus, atque contemptibus objicit; puritati evangelicæ diſciplinæ abrogat fidem, & contagioſa vi in malum trahit illos etiam, qui maxime inde abhorrere videntur. Quemadmodum enim homines ad imitandum proni, violenta rapiuntur propenſione ad mala potius exempla imitanda, quam bona; ſi hæc exiguam vim habent, & paucos habent ſectatores, illa facile plurimos imitatores inveniunt; cumque publica facta ſunt, diceres conſuetudine excuſari malum, quod ineſt, & licitum fieri, quod divina lege prohibetur. *Conſenſere jura peccati, & cæpit licitum eſſe, quod publicum eſt*, S. Cyprianus inquit. *Idem*.

Scandalum eſt periculoſiſſima perſecutio, quam Eccleſia pertulerit.

Scandalum eſt ſæviſſima, & periculoſiſſima perſecutio, qua dæmon eccleſiam inſectetur. Hanc in ejus primordiis ipſe perſecutus eſt rabie, ac impotentia, quam ſæculi principes exercuerunt in filios ejus, ut illam delerent; ſed ipſa glorioſe triumphavit de omnibus conatibus illius, & licet tanta clade, & ſanguinis effuſione confici debere videbatur, inter fidelium diſcipulorum mortem, ac interitum multiplicata eſt, atque ex ipſis cladibus ſua accepit incrementa. Cum ſævitia non eum habuerit eventum, quem dæmon præſtolabatur, callidius eccleſiam ille ad ortus eſt ſuſcitans ſchiſmata, & hæreſes, ut fidei illius puritatem corrumperet, & infringeret unitatem. Quamvis recens hoc bellum eidem gravius, & acerbius extiterit priori; unde tamen victrix evaſit tot illuſtrium doctorum, qui illi patrocinabantur zelo, atque eruditione. Sed periculoſiſſimum bellum, quod illi dæmon inflixerit, eſt morum corruptio, quam in omnes illius ſtatus invexit per ſcandala aliquot membrorum, ex quibus compoſita eſt. Hi ſunt domeſtici inimici, quos in ſuo fovet ſinu, qui maximam illi afferunt amaritudinem, & qui cor illius a certiſſimo, graviſſimoque dolore conficiunt: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima*. Iſaiæ 38. *Idem*.

Nihil eſt, quod majorem eccleſiæ afferat injuriam, quam ſcandalum, nihil quod magis illius exhauriat fœcunditatem, nihil, quod magis verbo Dei vim, ac virtutem auferat, licet illud a ferventiſſimis evangelii præconibus prædicetur? Prava pſeudofidelium exempla magis pernicioſos ibi pariunt effectus, magiſque periculoſas impreſſiones efficiunt, quam falſa hæreticorum dogmata. His fidem non habemus; immo ab illius quam diligentiſſime nobiſmet cavemus; quidquid ab illis proficiſcitur, tamquam ab inimicis profectum ſuſpicione non vacat; at non ita cum illis agimus, cum quibus in eadem communione verſamur; facile ad eos imitandos proni ſumus, & fas eſſe ducimus, quidquid illos facere videmus; omniaque humanarum, divinarumque legum interdicta modicam vim habent ad inhibendum illud ſtudium, quo ad prava ſequenda exempla urgemur, tunc præſertim cum conſuetudine probari videntur. *Idem*.

Scandalum eſt cauſa vitiorum omnium, quæ hodie in mundo graſſantur.

Publicis dumtaxat ſcandalis acceptus referendus eſt tepor pietatis noviſſimorum horum temporum, & hæc adeo generalis corruptio, quæ adeo late in omnes conditiones, ac ſtatus ſe effudit, ut pauci inveniantur, qui gravibus ſceleribus patrandis pares non ſint ſeſe conformantes vitæ magis communi, quæ ab hominibus ejuſdem profeſſionis ducitur. Hoc deterret infideles, ne chriſtianam religionem amplectantur, judicantes potius ex vita, quam in Chriſtianis uſitatiorem intuentur, quam ex ſanctitate legum, quas ipſi amplecti profitentur. Ulterius etiam procedunt; inde enim, S. Chryſoſtomus inquit, occaſionem arripiunt evomendi blaſphemias in JESUM CHRISTUM, religionem illius in ludibrium vertendi, ac pertinacius ſuperſtitionibus ſuis inhærendi. *Idem*.

Scandalum reparari debet. & quomodo.

Si olim cauſa fuiſtis lapſus aliquarum animarum ſeu pravis exemplis, ſeu improbis ſermonibus, ſeu negligentiis veſtris, adnitimini impoſterum tot animas lucrari, quot perdidiſtis, vel filiorum veſtrorum educatione, vel cura efficiendi, ut famuli veſtri edoceantur; verbo, bonis exemplis; alioquin vobis dicet Deus, ut olim Cain, vocem ſanguinis fratris veſtri, cui magis funeſtam mortem intuliſtis, altius, quam Abel, de terra ad ipſum uſque clamare. Confugite ergo corde mœſtitia confecto ad mundi Salvatorem, ut gratia ſua reparet ruinas, quas ſcandalis veſtris in domo illius peperiſtis, ut eos curet, quos vulneraſtis, eos attollat, quos dejeciſtis, eos revocet, quos in errorem deduxiſtis. Hæc unica via eſt leniendi iram divini judicis, quam ipſi vobis ſcandalis veſtris conflaſtis. *Idem*.

Mali, quod ſcandalum affert proximo, magnitudo.

Si furtum, quod homini aufert bonorum partem, ſi obtrectatio, quæ illius exiſtimationi labem offundit, ſi homicidium, quod illis vitam corporis ferro, aut veneno eripit, ſcelera ſunt adeo enormia, contra quæ leges adeo ſeveras irrogarunt pœnas; quam magis monſtruoſum, ac deteſtabile vitium videri debet ſcandalum, quandoquidem animabus tantum infert excidium! Hoc non rapit fragilia, perituraque bona, quæ iſthic cum vita relinquenda ſunt; non honores, qui nominis celebritatem conferunt, & qui nobis reverentiam conciliant, quantumvis ſemper adverſæ fortunæ telis pateant; neque corporis vitam, quæ breviſſimæ eſt diuturnitatis; ſed præſtantiora, amplioraque invadit bona, quæ eripere conatur, animæ; conatur enim animæ eripere inæſtimabiles gratiæ theſauros, omnes virtutum, meritorumque divitias, & id, quod vitam ejus conſtituit, gratiam videlicet, & charitatem. Nonne hæc detrimenta ſunt magis deploranda, & metuenda, quam terrena omnia mundi hujus detrimenta? Hinc conjice, quam horribile malum ſit ſcandalum, quam nobis eſſe debeat formidabile; quoniam ſæpe mortem adfert ingenti numero animarum Dei ſanguine redemptarum, & ad gloriam æternam aliquando perfruendam deſtinatarum. *Iidem*.

S. Chryſoſtomus eos, qui ſcandalum præbent, incendiariis comparat, qui ardentibus malleolis hominum domibus, Deique templis ignem injiciunt. Scandalum hoc, quod præbuiſti, fuit tamquam ignis ſcintilla, quæ incidens in affectiones hujus adoleſcentis ad impuritatis flammas concipiendas proniſ, totum illius cor inflammavit, ac funeſtis accendit ignibus nonniſi ſumma cum difficultate extinguendis; tibique reddenda erit ratio malorum, quorum cauſa tua ſcandala extiterunt. *Biroat in Adventu ſermone* 12.

Non ſecus ac pii, & virtute præditi homines confundunt peccatores bono exemplo, quod oculis eorum objiciunt, & cujus fulgorem illi ſuſtinere non poſſunt; ita mortalium ſcandala pudorem cient virtuti, & vitio tribuunt impudentiam. Pudore ſuffundetur Chriſtianus ubique videns tot impios, & flagitioſos, & inde impius occaſionem majoris arripiet impudentiæ. Deplorabilis eccleſiæ ſtatus, S. Cyprianus ait, quoniam non quæruntur amplius excuſationes peccati, ſed probatur exemplo! *Deplorandus ille ſtatus eſt, ubi non jam vitii excuſatio, ſed authoritas datur*. *Idem*.

Sancti peccatum bono exemplo confundunt, & impii ſcandalo ſuo confundunt virtutem.

Corpora eorum, qui ſcandalum præbent, ſunt quodammodo corpora dæmonum, & rabiei eorum ſenſibilia inſtrumenta. Hæc eſt Origenis ſententia dicentis, infelices hos ſpiritus quærere organa, & inſtrumenta,

hoc eſt humana corpora, ut ſcandala cient, cum non aliam habeant faciliorem, expeditioremque ad homines perdendos viam: *Dæmones quærunt organa, per quæ ſcandala operentur.* Omnes ſimul dæmones nequeunt pravum præbere exemplum; non enim habent corpora, quibus ſenſibiles fieri poſſint; ſed quod ex ſe nequeunt habere, hoc inter Chriſtianos inveniunt, qui illis corpora ſua commodant ad ſcandala, quæ illi cupiunt, excitanda. Mortales iſti faciunt membra ſua furoris eorum inſtrumenta, eiſque eadem præſtant, præter propter, officia, quæ uti boni Domino exemplis ſuis. *Idem.*

Mundus repletus eſt ſcandalis, & pravis exemplis.

Cum ſcelera publica ſunt, nullis opus eſt teſtibus, & probationibus. Ut mundo ipſius ſcandala oſtendantur, ſufficit oculos aperire. Quocumque aciem vertamus, invenimus imagines peccati, veluti propalam expoſitas in corporibus eorum, quibuſcum vivimus. Et quemadmodum in urbe, ubi lues graſſatur, vix perflatur aer, qui corruptus non ſit, & vix aliquis invenitur, cujus attactus contagioſus non ſit, ita in mundo corrupto ubique prava videmus exempla, & pauci occurrunt, qui proximo ſuo ſcandalo non ſint, eique vitiorum ſuorum non communicent virus. *Idem.*

Quomodo reparandum ſit ſcandalum proximo illatum.

Ad reparandam injuriam, quam attulimus Deo per ſcandalum, quod proximo dedimus, hoc potiſſimum quæritur, ut virtutibus noſtris ædificemus eos, quos vitiis noſtris ſcandalizavimus, ut eos convertere poſſimus, quos pervertimus. Ita ante converſionem noſtram duximuſne vitam flagitioſam, atque in omnia vitia effuſam? ſtatim ac gratiæ lumen nobis affulſit, in omni vitæ noſtræ ratione nihil non ſanctum eſſe debet, optimique exempli. Viſine ſumus erga pauperes duriuſculi? publicæ, ac liberales eleemoſynæ nobis erogandæ ſunt. Cum illis conſuevimus, qui in omni vitiorum genere volutabantur? indeſinenter cum illis verſemur, qui frugi ſunt, ac integri; quippe converſio, quam vita ædificans ſequitur, efficit, ut Deus glorificetur, magis quam maxima quælibet corporalia miracula. *Abbas de Monmorel ſermone in evangelium Quinquageſimæ.*

Malum quod ſcandalum peperit in mundo.

Horribile peccatum! fecit enim, ut tertia Angelorum pars cœlo diiaberetur; protoparentem noſtrum de terreſtri Paradiſo deturbavit; totum humanum genus afflixit, integras nationes perdidit; ſalutem fere impoſſibilem præſtitit illis, qui communem hujus vivendi rationem ſequuntur, ac tandem homines ad interitum ducit. Verum nulla res in me majorem ciet admirationem, quam inſignis ejuſdem progreſſus. Aliquando imperceptibilis exhalatio ex infecto emanans loco, ac ſeſe per aerem effundens totum terrarum orbem mortibus replevit, & majorem terrarum partem in cæmeterium convertit. Ita unus ſufficit malignus ſpiritus ad univerſum terrarum orbem erroribus, vitiiſque ſuis corrumpendum. Quid non fecit in eccleſia Arius? Quandoquidem, S. Hieronymo teſte, terra univerſa in Ariminen. Concilio Arianam ſe eſſe admirata eſt. Hæreſiarchæ, cui nomen Vigilantius, doctrina omnium fere temporum ſuorum mulierum puritatem corrupit. Sola Maneris memoria non levius in mundo peperit malum. Quam cladem duo noviſſimorum ſæculorum hæreſiarchæ in Germania, Gallia, ac borealibus regionibus pepererunt? Quis dicendo aſſequi poſſet, quot illi animas perverterunt, quantum ſanguinis effuderunt; quot bella, ac ſeditiones excitarunt, quot aras profanarunt, quot templa ſubverterunt? Unus ſufficit nefarius homo ad urbem, provinciam, regnumque totum evertendum. *P. Deligendor ſermon. pro feria 4. poſt tertiam Quadrageſimæ Dominic.*

Quinam ſint, qui præbent ſcandalum, & ſcandaloſi mundi ſunt.

In hanc claſſem rejicio primum eos omnes, qui palam docent impietatem, puta Hæreſiarchas, auctores ſectarum catholicæ fidei oppoſitarum, Atheos, impios, plus æquo licentiæ ſibi vindicantes, omnes illos, qui verecundiæ jacturam fecerant, omnes illos, qui execrandis opinionibus ſuis, quas ubique ferunt, ſimplices in errorem impellunt. In hoc numero illi etiam recenſeri poſſunt, qui de Deo inſolenter, ac impie loquuntur, blaſphemi, qui facile dejerant, qui palam bonos mores oppugnant, apertaque licentia ipſa honeſtatis principia labefactare conantur. Inter eos, qui ſcandalum præbent, accenſeri poſſunt obſcœnarum comœdiarum, amatoriarum fabellarum, aliorumque librorum fidei, boniſque moribus oppoſitorum auctores. Pictores, qui inhoneſtas imagines exprimunt, eas vendentes, & ementes, necnon publice in domibus ſuis picturas habent expoſitas, ubi nuditates, ac turpes actus exhibentur. Qui aleatorum receptaculum ſe tenere profitentur, aliorumque ludorum academiam, & quorum domus patet illis, qui in alea toti ſunt; conſtat enim ludos hoſce occaſiones eſſe juramentorum, imprecationum, litium, aliorumque malorum. Qui etiam in familiis ſuis pravum præbent filiis, atque famulis ſuis exemplum. *Idem, & diverſi alii auctores.*

Pravum exemplũ quam perniciosum ſit.

Nihil ad hominis voluntatem a bono quidem avertendam, in malum autem convertendam eſt aptius, quam pravum exemplum. Experientia, quæ nobis ſuppetit, ita communis eſt, ut cumulatiſſimum eſſe poſſit veritatis hujus argumentum. Plerique adoleſcentes malo pereunt exemplo. Et conſtat ratio. Voluntas intra officii ſui cancellos nonniſi ratione, pudore, Dei timore, ſtimuliſque conſcientiæ contineri poteſt. At pravum exemplum hos obices infringit, efficitque, ut hæc omnia valla ſuperemus. Exemplum rationis loco eſt; exemplum verecundiam aufert; humanus reſpectus nobis Dei metum eripit, conſcientia tandem ſedatur tot intuens mortales ſine religione ulla id facientes, quod ipſi non ſine metu facimus. Vitia non videntur amplius ita deformia, uti nobis exhibebantur; e contra vero ſeſe nobis cum illecebra in exemplo oſtendentia nos ſollicitant, & cupiditates, quas tamquam indomitas feras eſſe arbitramur, manſueſcunt exemplo, quo nihil eſt familiarius. Ita vitia in conſuetudinem, affectiones in habitum migrant. Ita ſane turpiſſimæ cupiditates, & flagitioſiſſima vitia; exemplum ſi acceſſerit, nil habent, quod in nobis pudorem excitet; & ſi quid adhuc ſupereſt, hoc exemplo contegitur. *P. Camaret libro, cui titulus: Purus & perfectus Chriſtianiſmus.*

Quam injuriam Deo facimus animas pravo corrumpentes exemplo.

Putaſne, Dei filium non affici ea contumelia, quam illi ſcandalum infert animas ab eodem avellens, pro quibus ſuum cruorem effudit, & illis æternam mortem infligens? Quid illi mundo jucundius, & charius eſt quodque illi majori ſtet pretio? Quæ mors crudelior, ac terribilior hac æterna morte, quam infers his animabus, quas totius ſanguinis ſui pretio redemit? Hoc te docebit S. Bernardus per hæc verba, quæ terrorem debent incutere cuilibet mortalium pravum exemplum præbenti: *Horrendum penitus ſacrilegium, quod & ipſorum videtur excedere facinus, qui Domino majeſtatis ſacrilegas manus injecerunt.* Et ſatis validam tribuit rationem; namque, ait, ſi Dominus ſuum effudit Sanguinem pro redemptione animarum; ſi ita dilexit illas, ut ad eas ſervandas vitæ ſuæ non pepercit, nonne liquet, eum, qui pravo exemplo has animas perdit, majori Deum afficere contumelia, quam carnifices, qui per inſtrumenta paſſionis ſanguinem ex illius venis hauſerant? *Idem.*

Scandalum mortale virus infert.

Ita eſt; verbum, quod miſeræ illi creaturæ dixiſti, virus eſt, quod illi gratiæ vitam, æternamque auferet felicitatem; dogma illud, quod ei venditaſti, in iis, quæ ad fidem pertinent, inani uſus cavillatione, atque dogmatis tradendis te immiſcens, mortale venenum eſt, quod per aures ingreditur, & deſcendit in cor, ut ibi religionis principia ſuffocet; pravum hoc exemplum, quod præbes nimia licentia, immodeſtia, & profanatione rerum ſanctarum in templo, qui hodie condictus eſt ad conveniendum locus: pravum hoc exemplum, quod vos parentes filiis veſtris tribuitis, peſtis eſt mortalis, & virus, quod certiſſime recipientibus illud inferet mortem. *Idem.*

Quid commenti ſunt dæmones, ut vitium probarent? Pravum adhibuerunt exemplum; fecerunt, ut colerentur vitia, & vitioſi, Dei nequam, atque hac arte turpiſſimas quaslibet abominationes conſecrarunt, abſtuleruntque hominibus pudorem id faciendi, quod in fictis numinibus adorabant. Difficile proculdubio erat hominibus non committere ſcelera, & non amare peccata, ut ita dicam, conſecrata. Vos autem quid facitis hodierna die pravis exemplis? id agitis, quod proximus, amicus, inferior veſter vix poteſt non facere, cum vos illud foventes vident, cum vos amant, vos colunt, vos mirum in modum reverentur. Vitia veſtra in vobis verenda facitis; omnem illis pudorem, omnemque infamiam auſertis: *Ut fiant miſeris religioſa delicta*, ut S. Cypr. ait. *Idem.*

Difficile eſt prava aliorum exempla evitare, ac ſe contra virus præmunire.

Pravum exemplum eſt *Petra ſcandali*, ut loquitur Scriptura; ubique invenitur, ac difficile eſt in illud non impingere. Scopulus eſt, in quem omnes ferme naves pertranſeuntes allidunt; ora eſt abyſſi, ubi neque ſtare, neque incedere datur, quin lapſus fiat; malum eſt contagioſum, quod converſatione, flatu, auditu, viſu, omnibuſque exterioribus ſenſibus communicatur. Quomodo vero ab illo nos tueri, illud evitare poſſumus? Si fugere liceret, aſſignaremus amuletum contra peſtem: *Cito, longe, ſero*; ſed in mundo vivere debemus; perflandus nobis eſt malignus hic mundi aer, & hic mundus juxta S. Joann. in ep. 5. verba mor-

mortali malignitate totus infectus eſt: *Totus mundus in maligno poſitus eſt.* Arandum nobis eſt hoc mare tot ſcopulis repletum, eundum nobis eſt contra torrentis impetum, incedendum per hanc viam, quæ præruptis, ac præcipitibus locis eſt repleta. *Idem.*

Pravum exẽplum quod eſt commune non ideo minus malum eſt in ſequentibus illud.

Dei filius, poſtquam dixit, neceſſe eſſe, ut veniant ſcandala, addit, licet hæc fatalis adſit neceſſitas: *Verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit.* Væ ſcandalum præbenti, & accipienti; uterque reus eſt. Pravum exemplum non excuſat. Hæc tamen vulgaris eſt hominum exceptio; hoc non extremum eſt in Chriſtianiſmo malum, cenſere, non adeo grave malum eſſe facere, quod alii faciunt, & ſequi impetum, quo trahimur. At malum contagioſum, eo quod commune eſt, num ideo minus eſt? Reſpicite malum exemplum tamquam luem, qualis eſt; creditiſne illud vobis minus detrimentum allaturum, quia majus affert aliis? Pravum exemplum ſemper eſt peccatum, hoc eſt Dei offenſa; quo jure dicere poteſtis, hanc offenſam minorem eſſe, quia a multis infertur? Vulnus vulneri additum, ſi utrumque mortale eſt, numquid minus malum adfert, quam primum, quia eſt ſecundum, vel tertium? E contra pejus erit. *Id.*

Scandala, & prava exempla lolio cõparantur.

Sancti Patres, atque inter alios SS. Cyprianus, Auguſtinus, & Gregorius malum exemplum, comparant lolio; & hæ ſunt rationes. Quia quemadmodum lolium bonis frugibus nocet, ita mali bonis nocent hominibus, qui ſatis fortes non ſunt, ut illis reſiſtant. Lolium terræ ſuccum, & adipem attrahit; mali quoad poſſunt, ad ſe trahunt mundi bona, divitias, honores, voluptates. Lolium pravas habet qualitates, quæ bonam terram corrumpunt, & malignitatem ſuam bonis frugibus communicat; mali pravas alunt opiniones, & mores adhuc nequiores, qui mundum corrumpunt, & boni inde detrimentum patiuntur. Inimicus, qui lolium ſerit, eſt dæmon; meſſis tempus eſt mundi finis; meſſores Angeli. Hæc eſt applicatio, cui nihil eſt, quod opponatur; hanc ipſe Dei filius fecit, Mittet filius hominis Angelos ſuos, qui ex univerſo regno ipſius omnia colligent ſcandala, eos, qui præbent, eos, qui recipiunt pravum exemplum, eoſque in manipulos alligabunt ad comburendum. *Idem.*

Qui malum ſequuntur exemplum, æque puniuntur ac illi, qui præbent illud.

Conſiderate omnes punitiones, quæ in Scripturis ſanctis memorantur ad ſalutarem judiciorum Dei metum nobis incutiendum funeſtis exemplis, quibus irritata ejus juſtitia in homines ſcandalum præbentes, ac illud ſequentes animadvertit. Videte, utrum Deus magis conſciis, quam auctoribus ſcelerum pepercerit? In univerſali diluvio, in quo inſignes illi gigantes, homines in ſæculo potentes perierunt, numquid ii tantum, qui præ cæteris nocentiores erant, juſtas ſcelerum ſuorum dedere pœnas? In incendio infamium urbium cæleſti igne incenſarum, filii, qui fortaſſe nonniſi propter parentum ſuorum parvum exemplum peccaverant, evaſere flammas, quibus patres illorum abſumpti fuere? Numquid unus Pharao Ægypti plagis percuſſus fuit, atque Ærythræis maris fluctibus obrutus? Nonne omnes de illius aula, conſilio, miniſtri omnes, populuſque pœnæ ejuſdem conſortes fuere? Totus exercitus, qui ſecutus eſt populum, qui Dei gentem perſequebatur, nonne eadem pœna affectus fuit? Quot infirmæ, timidæque animæ peccaverant ſolum, quia aliena ſecutæ fuerant exempla ad vitulum aureum adorandum multitudine dumtaxat adductæ? Attamen ignavi illi homines, qui prava ſecuti fuerant exempla, in ore gladii cæſi ſunt. *Id.*

Senſus, quos fovere debet pœnitẽs converſus, ubi cõſiderat animas, quas ſcandalis ſuis perdidit.

Non minimus dolor, quo conficiuntur illi, qui poſt vitam in ſceleribus traductam bona fide converſi ſunt, eſt non poſſe in viam ſalutis revocare eos, quos ipſi ab eadem amoverunt, neque ex inferno educere illos, quos per ſcandalum illuc dedere præcipites. Ita, auditor mi, ſi poſtquam flagitioſam duxiſti vitam, Deus cor tuum tangit, tibique gratiam largitur ſinceris proſequendi lacrymis præterita flagitia, hos doloris ſenſus concipe, ac inter gemitus, ac ſpem obtinendi miſericordiam, & veniam tot ſcelerum tibimet ipſi dic: In infinita Dei miſericordia confido. Utique; gemitibus, ejulatibus, ac ſuſpiriis cordis mei commotum, ſpero, ipſum non denegaturum mihi amicitiam ſuam, ipſumque oblivioni daturum ſcelerum meorum & numerum, & enormitatem; ſed miſeri illi, quos vita mea nefaria præcipites dedit in infernum, indene ideo egredientur? Lacrymæ meæ extinguentne flammas, quibus devorantur? Me gemente, & in ſacco, & cinere pœnitentiam agente, illinc ullam in cruciatibus ſuis requiem invenient? Nullam. Quamcumque mihimet ipſi pœnitentiam imponam, quantumcumque amari ſint dolores mei, miſeri illi in omnem æternitatem damnati ſunt; idque propter me. Hæc meditatus, ſummoque dolore confectus exclamabis: Quid, Domine! nequeo reddere tibi animas, quas abſtuli. Ex me igitur in hac vita pœnas ſume. Ego profecto non deſinam, quominus coram te me dejiciam, & annihilem hac ſpe fretus, fore ut ad te alios fideles ſervos perducam. *P. Stephanus Chamillard ſer MS. hujus argumenti.*

Scandalum quod præbent mulieres inhoneſtis veſtibus &c.

Certum eſt eos, qui ex fidelibus ſunt fratribus ſuis petra ſcandali, hoc eſt, qui illis exhibent occaſiones peccati per vitia, erroreſque ſuos, coram Deo reos eſſe omnium criminum, quæ committuntur ab illis, quibus ipſi toto vitæ ſuæ ſpatio occaſionem hanc præbuerunt. Quis dubitat quominus, ex. gr. mulier, quæ in ſe mortalium omnium ora, oculoſque convertit, parum decoris ornatibus, indumentiſque ſuis, cincinnis, calamiſtris, ac nuditatibus, quæ ſcandalo carere non poſſunt, tot peccata committat, quot pravi in ipſam conjiciuntur obtutus, quot impudica deſideria concipiuntur? Profecto numquam ſatis invehi licet contra publicum ſcandalum, quod gignere poteſt damnationem plurimarum mulierum, puellarumque, quæ nudato ſinu, nudatiſque lacertis, aliiſque indecoris induendi modis, & immodeſto corporis habitu in ſe hominum convertunt oculos, & in eorum cordibus impudici amoris ignem accendunt. Eſto quidem, SS. Hieronymus, & Cyprianus inquiunt, non affectent illæ indecoros hoſce habitus; neque pravo conſilio ſeipſas ita comant, & ornent; non ideo tamen ſunt minus nocentes ob ea crimina, quæ ideo patrantur. Ita eſt; mulieres, puellæque mundanæ, ſi hujuſmodi veſtibus, muliebrique nudo accenditis, & fovetis noxia deſideria in liberioribus adoleſcentibus, coram Deo rationem redditura eſtis omnium ſcelerum, quorum cauſa fuiſtis. Nequicquam profitemini, nullam vobis pravam intentionem fuiſſe; licet voſmet ipſas non perderetis, cum alios perdatis, culpane vacare poteſtis? Quam adferre excuſationem poteſtis, cum vos obtuleritis virus, & miniſtraveritis enſem, quibus miſeri illi ſibimet mortem conſciverunt? *Auctor Anonymus.*

Pravum exẽplum aufert verecundiam.

Nihil in Confeſſionibus ſuis S. Auguſtinus uberioribus proſequitur lacrymis, quam infelicitatem mali exempli, quam habuit in adoleſcentia. Ingenium habebat in bonum ſatis proclive; immo ſatis bonam etiam educationem receperat, & ſine jactantia in libro, ubi nil aliud quam confuſionem ſuam quærit, fatetur, ſe numquam ad maxima hæc flagitioſæ vitæ ſcelera venturum fuiſſe, niſi ſodales ſui ipſi prava præbuiſſent exempla. Ita enim loquitur: *O nimis inimica amicitia, ſeductio mentis! cum dicitur eamus, faciamus, & pudet non eſſe impudentem.* In magni hujus ſancti viri verbis, & experientia habemus exemplum, ac manifeſtum argumentum audaciæ, & impudentiæ, quam ſcandalum tribuit, quod in malo patrando efficit impudentes. *Idem.*

Sæpe proximo ſcandalũ præbemus, quin ne cogitemus quidem.

Nollet quidam vel minimum alicui in temporalibus bonis detrimentum afferre, qui ne animum quidem advertit ad evitanda ſexcenta, quæ proximum in diſcrimen adducunt gratiæ, & nonnumquam æternæ felicitatis amittendæ. Exponitur ſimpliciter inhoneſta tabella; amatorius liber commodatur; canuntur cantiones ad noxium inſpirandum amorem nimis accommodatæ, matrona cum adfectatione ſeipſam in loco etiam ſancto oſtentat ornatam indumentis æque & pudori, & chriſtianæ humilitati oppoſitis, aliquis de pietate obloquitur, & devotiſſimum quemque in jocum traducit. Quis dicere poſſet, quantum hæc omnia proximo noceant? Majorem illi infers injuriam hac arte illum in peccatum impellens, quam ſi exiſtimationi illius labem offunderes, vel omnia bona auferres. Et nihilominus, quiſnam e mundo ad hoc attendit? Heu! Mira inverſione fit, ut qui aliquem verbo lædere perhorreſcimus, nullo in diſcrimine habeamus animæ illius inferre mortem, eique vitæ gratiam auferre. *Auctor Anonymus.*

Quam late pateat ſcandalum, & quanti referat hoc noſſe.

Hoc ſcandali argumentum maximæ eſt in religione neceſſitatis; argumentum, quod adeo late patet in chriſtiana morum diſciplina, ut ad omnia ferme officia, omneſque vitæ noſtræ actiones referatur; argumentum, cujus cognitio ita abſolutæ neceſſitatis eſt, ut nemo verus Chriſtianus eſſe poſſit, qui hoc penitus non calleat, & nihilominus ita neglectum, ut pauci fideles ſerio animum appellant, ut erudiantur: etenim quot ſunt, qui ſcandalum & præbent, & accipiunt, quin plerumque ſciant, quid ſit ſcandalum? Hoc virus in animas noſtras quovis tempore, & loco, data opera, temere, per impudentiam, per ſilentium, per verba, per viſitationes, per veſtimenta, per geſtus, per ipſam devotionem male inſtitutam æque, ac per vitium ſe inſinuat. Verbo, cum tota vita chriſtiana inter nos, ac proximum diviſa ſit, in vitæ

vitæ noſtræ ratione, illud ſæpe criminoſiſſimum eſt, quod parum ædificat, & magnum ſcandalum adfert. *Abbas du Jarry, tomo 2. ſermonum, ſermone de quinquageſima.*

Quid ſit ſcandalum & ejus nequitia.

Scandalum datum non aliud eſt, quam impedimentum, quod ponimus in via ſalutis, quod remorari poteſt; vel eſſe cauſam lapſus illis, qui in hac ambulant via; vel ut ſimplicius loquar, eſt pravum exemplum cognitum, quod illos, a quibus videtur, ad imitationem invitat, & infirmat principia fidei, & religionis in illis, qui hoc apprehendunt. Aer eſt contagioſus inficiens illos, a quibus reſpiratur, illis ſuas communicans improbitatem; flatus eſt mortalis in animas uſque corruptionem inferens. Hoc intelligebat Apoſtolus 2. ad Cor. 2. cum loquebatur de odore mortis mortem afferente: *Odor mortis in mortem*. Cor enim hominis ita pronum eſt in malum, ut quantumvis parum incorruptionis ſuæ proclivi, impellatur, vix fieri poteſt, ne labatur, & decidat. *Idem*.

Scandalum magis perículoſum eſt cum præbetur ab illis, qui habent auctoritatem.

Cum ſummorum virorum facta magis aliorum conſpectui pateant, ſcandalum, quod præbent, magis perniciosum eſt, quia apertam relinquit viam illis, qui eos vellent ſequi, & imitari. Serio id cogitate vos, qui aliquem in terris gradum obtinetis; ſcitote, ſi potentes eſtis, vos potenter excruciatum iri; ſcelerum veſtrorum magnitudinem pro veſtræ conditionis magnitudine majorem eſſe, Deum ſeveriſſime ſumpturum pœnas de animabus, quibus ſcandalum affertis; ac dum illas trahitis in abyſſum, ipſas viciſſim vos illuc præcipites daturas, & nequitiam effuſam in ſcelera omnia, quorum eſtis auctores, in ſceleribus veſtris annumerari. Sapiens: ait *Pro tantis reus, quantos traxerit in reatum*. Sed pauci ſunt, quos hæ terreant conſiderationes, quia pauci illis ſe indigere arbitrantur, plerique peccatorem ſcandali auctoritatem eum tantummodo eſſe putant, qui palam profitetur impietatem, & qui religionis monſtrum poteſt appellari. *Idem*.

Dicis, nullam tibi eſſe pravam intentionem iis in rebus, ex quibus homines ſcandali occaſionem arripiunt. Confide, quantum tibi placuerit, in ſecretis diſpoſitionibus, in quibus es, fortaſſe ſatis erunt, ut Deo ſatisfiat, interiorem dumtaxat animi partem intuenti; ſed non cogitas rem tibi eſſe cum hominibus nequitia, & injuſtitia refertiſſimis; quod ſi Deus videt defectus omnes, qui tibi inſunt, homines exiſtimare poſſunt, nullos eſſe tibi eo tempore, quo integerimæ quælibet actiones veneno inficiuntur. Expectaſne benignas fidei interpretationes ad crimina tua excuſanda; & cum ſuſpicione ſimulationis non carent ſinceriſſimæ divotionis indicia, ſperaſne ipſas criminis ſpecies indulgentiam eſſe obtenturas? Quomodo vis aſſertam intentionum tuarum puritatem dignoſci per has exteriores, quæ ſuſpicione non vacant? Oporteret, ut unuſquiſque te, tuaque amaret æque ac tu temetipſum, ac omnes proprii amoris tui oculis tuas actionis ſpectarent... Verum eſto in vitæ tuæ ratione plus ſit imprudentiæ, & ſimplicitatis, quam nequitiæ; hæc ſimplicitas, & imprudentia te non excuſant; quoniam in te poſitum eſt ſerio dicta, factaque tua perpendere, ut illa a ſcandali veneno expurges; ac tuum eſt cavere, ne quid facias, unde qui vident te, fieri poſſint nequiores, vel ſuſpicari te improbiorem eſſe, quam vis exiſtimari. *Idem*.

Quid attendendum ne cui præbeatur ſcandali occaſio.

Noſtrum eſt jugiter nobis invigilare, ſevere actiones noſtras, verba, inceſſus, obtutus ad examen vocare, ne quid horum fratribus noſtris ſcandalum afferat. Non loquor hoc in loco de execrabilibus irriſionibus, quibus ſacratiſſima religionis myſteria nonnumquam in ludibrium vertuntur, de dogmatibus diabolicis, ac nefariis, quæ in mundo impune venditantur; de funeſtis, pernicioſiſque conſiliis, quæ adoleſcentiæ præbentur, de periculoſis libris, qui componuntur, imprimuntur, ac ſine ſcrupulo leguntur; de ſyſtematibus, atque chimericis religionis ideis, quæ formantur; quid enim dicendum eſſet contra peccatores, qui ſcandalum afferunt Urbibus, Provinciis, & Regnis, cum mundi Salvator graviſſimas intentat minas contra eos, qui vel unam animam ſcandalizaverint? Loquor de ſermonibus nimium liberis, de licentia, quam mortale ſibi arrogant cum alterius ſexus perſonis, de immodeſtia indumentis, in geſtibus, in obtutibus, &c. *Idem*.

Æquum eſt reparare ſcandalum publica pœnitentia.

Quid æquius eſt, quam publicam agere pro publicis peccatis pœnitentiam; quam oſtendere voſmet eſſe pœnitentes illis omnibus, qui vos peccatores fuiſſe cognoverunt; vos ſubditos eſſe iis legibus, quas toties violaſtis: vobis probatas eſſe veritates, quas toties oppugnaſtis aut factis, aut verbis; ita enim reparantur mala per ſcandalum allata; qui male de fide veſtra judicarunt, fidem ſuam confirmari ſentiunt veſtram confirmatam intuiti; & religio per licentiam veſtram dedecore affecta venerabilis fit per veſtram converſionem. Ubi es primus eccleſiæ orientis fervor, cum videbantur Imperatores pro purpura ſacco induti, ac cinere adſperſi præ templorum foribus palam reparare ſcandala, quæ attulerunt, neque iterum in ſacrorum myſteriorum partem accedere, niſi prius per omnes auſteriſſimæ pœnitentiæ gradus pertranſiſſent? Eccleſia praxim mutavit, ac ſeſe filiorum ſuorum infirmitati accommodans, legum ſuarum rigorem temperavit, prout fidelium charitatem frigeſcere vidit; verum ſi alia eſt ejus praxis, ſpiritus tamen eſt ſemper idem... Exigebat tunc publicas pro ſcandalo reparationes, & hodierna etiam die exigit; & hujuſmodi reparationes eo magis inevitabiles ſunt, quo ſunt minus ſeveræ..... Attamen omnia ſcandalis repleta ſunt, & ubi publica pœnitentia videtur? *Idem*.

Magnum crimen eſt peccare propter ſcandalum quod receptum eſt.

Cum magnum ſit crimen præbere proximo ſcandalum, & hoc pacto efficere, ut in peccatum labatur, aliud crimen eſt peccato cedere propter ſcandalum, quod nobis datum fuit. Quamobrem non licet nobis reſpicere tabulas, vel ſimulacra inhoneſta, multoque minus illa domi aſſervare, eaque expoſita relinquere mortalium oculis, ac noxiæ curioſitati. Hoc ſimul eſt ſcandalum & accipere, & præbere; quia hæc eſt occaſio lapſus non infirmis tantum, innocuiſque animabus, verum etiam illis, qui nullam inde impreſſionem percipere profitentur. Nam quidquid dicant protervi iſti homines, qui ex impudicitiis ſuis creſcere conantur, & qui merito ſibi vertunt, quod inanimatis imaginibus non afficiuntur, quia fortaſſe nimis aſſueti ſunt viventibus realitatibus, pro certo affirmare poſſumus, hæc objecta impudica per oculos tranſeuntia in cor ipſum dilabi, & excitare cupiditates, quæ ſemper præſto ſunt, ut excitentur, atque inflammentur, quantumvis ſemiſopitæ, extinctæque videantur. *Abbas de Monmorel ſermone in evangelium Dominicæ vigeſimæ poſt Pentecoſten.*

Quemadmodum Dei filius venit ad deſtruenda dæmonis opera; ita dæmon per vicariorum, atque ſectatorum ſuorum miniſterium venit ad deſtruenda opera filii Dei, ad ſtatuendum in corde regnum peccati, ad delendas ibi fidei, gratiæque impreſſiones, ad efficiendum, ut J. C. loco audiatur tamquam illuſionis, erroris, & mendacii Magiſter... Terribile miniſterium eorum, qui ſcandala præbent, & ut ita dicam, concionatores ſunt vitiorum; ſtudent ornare, ac detergere domos, ex quibus dæmon fuerat ejectus, ut eo revertatur; illi præparare vias, illum in poſſeſſionem reducere, illi concedere de filio Dei victoriam, eique occaſionem præbere de eodem impotenter agendi triumphum. Hoc enim faciunt ſcandalorum auctores, qui animas perdere, eaſque dæmonis ſervituti, qua ſervitute Salvator eas liberaverat, ſubjicere conantur. Ut verbo me expediam, hoc eſt deſtruere opus, propter quod ille tot ſudores ſudit, tot labores pertulit, & ad quod omnia vitæ ſuæ momenta, & curas impendit. *Auctor Anonymus.*

Inhoneſtæ tabulæ ſunt ſcandali occaſio.

Segnius irritant animos demiſſa per aures, quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus: imago ad vivum expreſſa objectum præſens afficit, illud ob oculos ponit, & idem eſt ac picturam intueri. Animi ægritudo non moratur rationis conſiderationes; ad objecti ſui adſpectum excitatur, ita ut ſi in tabula reperiat id, quo allicitur, non perpendit, utrum hæc res ipſa ſit, an imago. Satis eſt, ſi pictura rem illi præſentem exhibeat; ideas ſuas, & impreſſiones iterum excitat, ideoque animæ ſuæ vulnera refricat. Caſtæ aures læduntur ſermone, qui pudori oppoſitus eſt, & pudor hic ſæpe intra honeſtatis cancellos coercetur. Sed tabula, & ſimulacrum hujuſmodi conſiderationibus impares ſunt, & qui rubore ſuffunderentur audientes parum honeſta colloquia, non pudet illos in immodeſtam imaginem oculos conjicere &c. *Idem*.

Qui obſcænas domi ſuæ imagines exponunt, præbent ſcandali occaſionem.

Vos eſtis ſcandali occaſio, cum domi veſtræ habere, & conſervare vultis tabulas, ſimulacra, imagines, quæ ſunt lapſus occaſio videntibus illas. Vobis peccant, quicumque ibi peccandi cauſam inveniunt; ac voſmet reos exhibetis excidii, quod accidere potuiſſet illis, quos ſua virtus præſervat, & qui reſpondent gratiæ qua admonentur, ac permoventur. Vos laqueum tetendiſtis; nihil reliquum feciſtis, ut in illum eos impelleretis. Eſto hoc factum fuerit præter veſtram intentionem, quippe dæmonis nequitia requireretur, ut id hoc animo fieret; ſed hic animarum hoſtis hanc pro vobis habet intentionem, veſtroque utitur miniſterio, ut eos fallat. *Idem*.

Operum Auctores qui poſſunt eſſe cauſa ſcandali propter opera, quæ ad impudicitiã inducunt.

Quot celebres auctores ſcandalum in Chriſtianiſmo pepererunt plurimarum animarum clade, alii quidem per errores, & hæreſes, quas docuerunt, alii vero per venenata, ac pernicioſa volumina. Quot

Quot inſignes artifices, pictores, ſculptoreſque reliquerunt opera, quæ mortales omnes admirantur; ſed quæ inſimul mentes rapiunt, imaginationem fœdant, & mores corrumpunt, alii quidem laſcivis picturis, aliis vero ſimulacris cælaturis, aliiſque imaginibus, quæ ad peccatum poſſunt impellere? Non picturæ, neque ſculpturæ artes, aliæque id genus improbantur, ſed earum abuſus. Ars, cum bona ſit, utiliſque, a Deo eſt; abuſus illius corruptio eſt, & hoc eſt opus hominis, ac dæmonis. Ars inſtituta eſt ad mundum exornandum, & locupletandum, non vitiis, flagitiiſque cumulandum, & artis opera fieri debent ad publicam utilitatem, non autem eſſe impudicitiæ, luxus, aliarumque noxiarum impudicitarum documenta. Auferatur quidquid in illas invexit cupiditas, ibi relinquatur id ſolum, quod reſpondet menti illius, qui auctor eſt artium, non ſecus ac naturæ; non deerit occaſio laudandi opifices, opera illorum, & eos, qui illa conſervant; ſed trepidandi locus eſt, dum cogitamus inſignes artifices, quorum opera ſcandalis ſuis tot animarum excidium pepererunt, fortaſſe æternis inferni flammis torqueri, dum interim inanibus celebrantur encomiis in terra, & ad autographa ipſorum curioſa redimenda magna vis auri, argentique impenditur, melius in eleemoſynas eroganda... Verum nonne jure improbandi ſunt pictores, ſculptores, aliique id genus opifices, qui hujuſmodi opera faciunt; atque ex illis expoſcenda ratio tot peccatorum, & ſcandalorum, quorum cauſa fuere? Cogitantne Deum diſtricte in judicio ſuo rationem expetiturum, atque de manu eorum poſtulaturum ſanguinem tot animarum, quas illi in ſcelus impulerunt per artis, ac ſcientiæ ſuæ abuſum? Operibus eorum tamquam laqueis uſus eſt dæmon ad infinitas capiendas animas, quæ alioquin non interiiſſent. Meminerint ipſius maledictionis, quas ejaculatur Dei filius contra eos, qui ſunt cauſa ſcandali, ac metuant, ne ſupremus judex in altera vita pœnas ab ipſis repoſcat & ſceleris ipſorum, & eorum criminum, quibus per ſcandalum miſere aliquid contulerint. *Idem*.

Inevitabilis obligatio eſt ſcandalum datum reparare.

Principium eſt in dubium minime revocandum, ſi ſupremum lædentes Dominum fratri noſtro damnum intulimus, nequicquam nos ploraturos, oraturos, manus in cælum ſublaturos, ac divinæ juſtitiæ ſatisfacturos; adhuc enim reſtat arcta obligatio reparandi damnum illius, cui detrimentum attulimus, ac res in eodem ſitu, quoad ipſum ſpectat, reſtituendi, in quo erant, quantum per nos fieri potuerit. Etenim quantumvis quæ ſpectant ad Deum, longe alia ſint ab illis, quæ ad hominem ſpectant; ſunt tamen ita ſimul conjuncta, atque invicem hærentia, ut ſeparari minime poſſint. Videtur a nobis exigere Deus alterum altero diſtrictius, nam in iis, quæ ad ipſum referuntur, mitius agit, & non parum nobis remittit; nihil vero e contra in iis, quæ nobis invicem debemus. Quotuſquiſque autem eſt, qui mundi hujus commercio irretitus in vita ſua reus non extiterit alicujus publici peccati, cogniti, & cum ſcandalo conjuncti, quod virus infuderit in cor illorum, qui ejuſdem teſtes fuerunt. Ex temet ipſo judicium fer, Auditor mi, utique ex te ipſo judica, o juvenis, cujus omnes obtutus, inceſſus, colloquia, omneſque temet ornandi modi eo tendunt, ut placeas, & noxiam cupiditatem infundas. Judicate vos, mundani, qui ut voſmet ſæculi placitis conformetis, prorſus paganam ducitis vitam, ſolatiis dumtaxat, & voluptatibus indulgentes. Judicate vos patres familias, judices, mercatores, vos tandem, quibus inſatiabilis opum congerendarum cupiditas tandiu dominatur. Quot id genus peccata eſtis confeſſi, cum animum appuliſtis, ut voſmet converteretis, & infringeretis vincula, quibus terræ adſtricti hærebatis? Conſequenter fateri debetis, pœnitentiam veſtram veram eſſe non poſſe, niſi quatenus par eſt ſcandalo, quod naturaliter eſſe debuit ſcelerum veſtrorum effectus. *P. Chamillard in M. S. ſerm.*

Pravum aliorum exemplum non excuſat ſcelera noſtra.

Quod alii ſuo deſint officio, hæc ratio non eſt, propter quam extra noſtros cancellos debeamus egredi, & actionis eorum improbitas nos minime excuſat, ubi erga illos eam agendi rationem ſequimur, quæ abnormis eſt. Vitia, in quibuſcumque illa intuemur, nos admonent, ne ſimilia committamus, nec minus malis, quam bonis exemplis ad virtutem poſſumus erudiri. Tamen cum naturæ noſtræ pondus nos in malum potius, quam bonum trahat, gratia, & ratio cogunt, ut nobiſmet ſemper a pravis caveamus exemplis, quæ ſemper ſunt contagioſa. *Abbas Trappenſis in Chriſtianis effatis tom. I.*

Quædam eſt ſcandali ſpecies, quæ negotium bonis faceſſere non debet.

Si veritas æterna prohibet, ne hominibus ſcandali cauſam præbeamus, docet quoque ſcandalum adeſſe, quod bonis nequaquam faceſſit negotium, & quod in eorum dumtaxat detrimentum cedit, qui perperam ſcandalizantur. J. C. vita, quamvis irreprehenſibilis eſſet, ſcandali argumentum fuit Phariſæis; ita hoc ſolatio eſſe debet ſervis illius, ubi contingit eorum innocentiam dicteriis proſcindi, & quantumvis opera, non ſecus ac intentiones eorum pura ſint, tamen male explicantur, ac in pravum ſenſum detorquentur. Cum fecimus id, quod veritas, juſtitia, & charitas poſtulant, ut hujuſmodi in occaſionibus aliis medeamur, in pace permanendum eſt, illi ſuæ tradendi ſunt improbitati, in fide ſua relinquendi, ac interim pro illis orandum eſt. *Idem*.

Senex Eleazarus maluit mortem perferre, quam eſſe cauſam ſcandali vetitis in lege dapibus veſcens.

Utinam plerique Chriſti fidelium vellent ſequi exemplum illuſtris illius Eleazari, de quo ſermo eſt in 2. Machabæorum libro. Cogebatur venerabilis ſenex veſci carnibus lege vetitis eo uſque, ut illius familiariſſimi ſenectutis ejus miſerti perſuadebant illi, ut regi gratum facturus permiſſis uteretur carnibus ſimulans iis uti, quæ in ſacrificio fuerant immolatæ; verum ſanctus hic ſenex ſuam conſiderans ætatem, dignitatis præſtantiam, generis nobilitatem, domus ſuæ honorem, & antiquitatem, necnon irreprehenſibilem vitam, quam a teneris unguiculis duxerat, exclamavit ſe mori malle, quam uti diſſimulatione. Nolo, ajebat ſtrenuus ille vir, ſæculis venturis Eleazarum accuſari tantæ imbecillitatis, quæ in religionis dedecus cedit. Hoc publicum eſſet ſcandalum, & laqueus adoleſcentibus, ſi viderent ſenem nonaginta natum annos, poſtquam toto vitæ ſuæ tempore eidem fideliter adhæſerit, ſub extremum vitæ finem deficere, ac legem abdicare, ut idolorum cultum amplecteretur; etenim licet hominum manus effugerem, non effugiam tamen manus omnipotentis, neque juſtitiæ ipſius ſeveritatem; cum e contra generoſe morti occurrens facinus aggredior dignum ætate mea, adoleſcentibus generoſitatis exemplum relinquo, & gloriam tribuo Deo, qui me remunerabitur. Hi ſunt, o Fideles, generoſi ſenſus, quos fovere deberetis, ubi ſeſe vobis offerent occaſiones, in quibus periculum imminet, ne pravum præbeatis exemplum filiis, quorum inſtitutio vobis credita fuit. Numquid vos allicit ludus, ita ut meliorem temporis, quod adeo pretioſum eſt, & quod vobis datum eſt in ſalutis veſtræ, veſtræque familiæ cura tranſigendum, partem in eo vobis traducere placeat? Numquid vos libidinis æſtus ſollicitat? Numquid hæc vos urget tentatio, ut luxum alatis omnium bonorum & veſtrorum, & eorum, quibus obærati eſtis, periculo? Vobiſmet dicite, quod illuſtris hic Eleazarus; numquam decidam in hoc ſcelus, & meæ religionis, & officio meo turpiſſimum. Hoc publicum eſſet ſcandalum, laqueus eſſet adoleſcentibus, ſi viderent homines, quos propter ætatem, aut gradum, quo ſuper ipſos eminent, vereri debent, adeo procul ab officio recedere, & veri Dei cultum relinquere in mundi, omniumque idolorum ejus cultum migraturos. *Auctor Anonymus.*

Scandalum quod præbet gravis auctor, pernicioſius eſt eo, quod aliquis e vulgo tribuit.

Scandalum eo pernicioſius eſt, quo qui illud præbet, vel dignitate, vel doctrina ſua eſt celebratior; ſi enim peccator ille inſigni aliquo gradu niteat, flagitiorum ejus ſcandala majori cum rumore effunduntur; incendium eſt, cujus ſcintillæ quocumque pervolant; cadaver eſt atra lue contabeſcens in foro projectum; fons eſt communis veneno infectus. Quod ſi peccator pollet auctoritate, tot invenit imitatores, quot ad illum cupiditate aliqua accedunt; quilibet gratiam illius demereri contendit mores ejus imitatus; & unius hominis crimen brevi fit crimen mundi totius. Sin autem ob doctrinam nomini floret celebritate, tunc ſcandalum magis funeſtum eſt, ait S. Auguſtinus; cum enim rudibus populis non ſit ſatis luminis, ut ex ſemet ipſis de religionis rebus judicent, omnia doctorum virorum errata tot veluti rationes putant, quibus crimina ſua probantur, ſecreti conſcientiæ ſuæ ſtimulis objicientes publicum hominis exemplum, qui ab omnibus ſcitus, ac ſapiens habetur. *Abbas de Jarry.*

Quam periculoſum eſt ſcandalum, cum proficiſcitur ab illis, qui per particularia ſui ſtatus officia proximum ædificare tenentur! Cum pater pietatis, & virtutis documenta, quæ debet filiis, ac domeſticis ſuis, in exempla licentiæ, libidiniſque convertit; cum mulier chriſtiana oblita officiorum quæ matris nomen ab illa requirit, non erubeſcit adoleſcentulis ſcandala præbens commerciis, quæ nimis mundo cognita ſunt, ita ut familiam ipſius latere non poſſint, cum magiſtratus abutens auctoritate, quam princeps ei contulit, ut injuſtitiam perſequatur, ac protegat imbecillitatem, ſua abutitur poteſtate, ut alteram quidem opprimat, alteram vero triumphare ſinat, atque cor ſuum publicis, exploratiſque tradens cupiditatibus, liberam relinquit viam omnibus illis, qui illud ſedu-

ſeducere, atque corrumpere voluerint. Ad id ſerio animum advertite vos, qui aliquem in mundo gradum tenetis, mementote criminum veſtrorum magnitudinem creſcere pro magnitudine veſtræ conditionis; ac Deum diſtricte ultionem ſumpturum ob animas, quibus ſcandalum attuleritis. *Idem*.

Regula prudentiæ, cum dubitatur, utrum actio bona indifferens, ſcandalum ſit allatura.

Cum eſſentiales ſtatus noſtri obligationes nos ad quædam facienda cogunt, vel cum inde eccleſia magnum percipere poteſt fructum, illa a nobis aggredienda ſunt ſecundum Salvatoris, & Apoſtolorum exemplum, quamvis prævideamus non defuturos homines, qui inde ſcandali occaſionem arripiant. Verum ſi Dei gloria, eccleſiæ utilitas, ſalutis noſtræ cura, vel neceſſitas, quæ legem non habet, facta, vel cœpta noſtra non probant, quantumvis innocua, & ſancta videantur; ſi metuimus non injuria, ne aliquis inde ſcandalizetur, conſulendum nobis eſt ſaluti fratrum noſtrorum præ reliquis omnibus rationibus, quaſi ipſi habere poſſemus; quia væ illi, per quem ſcandalum venit, inquit J. C. *Idem*.

Nos quatenus Chriſtiani opponere debemus vitæ noſtræ exemplum.

Deus undequaque contumelia afficitur: effrænata licentia ſceleribus omnibus januam aperuiſſe videtur; vix minimum pietatis veſtigium in mundo videtur, & eccleſia nullam reliquam habet ſpem, niſi in exigua proborum hominum minum. Sumuſne ex hoc numero? Nunc tempus eſt oſtendendi, utrum veri ſimus filii ipſius; illa in manibus noſtris rem ſuam collocat: noſtrum igitur eſt, omnem illius reparare cladem, ac tueri gloriam exemplis virtutis æque publicis, uti publica ſunt ſcandala, quibus decoratur; noſtrum eſt obniti contra hunc impietatis torrentem, undique exundantem; noſtrum eſt, in flagitioſum hominum corde inſtaurare memoriam Dei illius, cujus ideas omnes illi penitus obliterare conantur; noſtrum denique eſt ea vita, quæ publica ſit vitæ eorum cenſura, palam damnare, quod reformare non poſſumus.

Qui ſcandalum præbent ſunt dæmonis concionatores.

Deus ſuos habet concionatores, ſed & mundus, & dæmon ſuos; poſſumne alio nomine vocare mortales, qui prorſus devoti ſunt effundendo in aliis dogmata impietatis, & vitii? Flagitioſi iſti, quorum os eſt veluti ſepulchrum patens, ubique fœtidum odorem exhalans mortis, ſcandali, & corruptionis; mundanæ mulieres, quæ ſunt veluti eſcæ publicæ aptæ ad alendam concupiſcentiam oculorum impudicorum, & adulterorum, & quæ ferentes in corde ſuo accenſum ſuarum cupiditatum ignem, fatales eorum ſcintillas effundunt, quocumque pertranſeunt per indumentorum ſuorum immodeſtiam, & vitæ ſuæ inverecundiam. Veniet aliquando dies, qua caput hoc, nunc mundi idolum, in cranium deforme, ac horridum convertetur: Veniet dies, qua corpus hoc fœtidum, & corruptum publicam veluti faciet reparationem JESU CHRISTO crucifixo per turpe tabum, quod delicatam ejus lautitiem excipiet. Veniet dies, qua Deus a vobis has repetet animas pretium ſudorum ſuorum, & ſanguinis, quas de manibus illius avulſiſtis; qua, poſtquam fueritis dæmonis inſtrumenta ad hominum damnationem, fietis æternæ comites ſuppliciorum, quæ propter hoc deteſtabile munus perferet, & qua omnes victimæ infelices, quæ perierint in laqueis, quos illis tetendiſtis, ſimul inſurgent in vos ultionem expetituræ interitus ſui, cujus vos præcipua cauſa extiteritis. *Abbas du Jarry, in Panagyr. S. Domin.*

SUPPLEMENTUM.

Chriſtiani relinquentes idola crediderunt licere ſibi ethnicorum mores retinere.

NOviſſimorum horum temporum Chriſtiani perhorreſcentes idolorum cultum, quem mens, & ratio execrantur, paullatim in illius uſus, quibus ſenſus maxime illiciuntur, migrarunt. Satis eſſe rati inſana Ethnicorum damnaſſe dogmata non minimam morum diſciplinæ partem adoptaverunt; & inde originem hauſit hæc morum, crapularum, ſaltationum licentia, quæ Religionis opprobrium eſt: inde etiam profecta ſunt dierum antecineralium ſolatia, funeſta excidii tot animarum origo. Et queritur adhuc quid mali ſit intereſſe voluptuariis cœtibus illis, & omnis intemperantiæ, libidiniſque ſpectaculis? Nonne potius eſſet quærendum, utrum liceat in partem horum feſtorum ab omni religione abhorrentium accedere, quin Dei iracundia in nos, & familias noſtras provocemus? Quod portentum oppoſitionis fidem inter, & vitam! Credere quidquid nobis credendum proponit eccleſia de terribilibus hiſce veritatibus, quæ tot pœnitentes, & martyres peperere; de frequentibus his periculis amittendi innocentiam in mundo, quæ tot clauſtra, ac deſerta cœnobitis replevere; de ineluctabili, ac univerſali neceſſitate ſeſe jugiter mortificandi, & carnem ſuam macerandi, ac pœnitentiam faciendi, ut ſaluti noſtræ conſulamus; denique de remotione occaſionum peccati, & de vitæ Chriſtianæ charactere: Hæc credere omnia, & Bacchanaliorum illecebras delibare, & his oblectari ſolatiis? quiſnam ſatis impietatem, miſeræque hujus vitæ ſtultitiam aſſequitur? *P. Croiſet in Exercit. Aſceticis Tomo I.*

Inanes cauſæ quas prætexunt amatores Bacchanaliorũ.

Quænam rationes magis irridendæ, ineptiores, ac ſtultiores iis, quas prætexunt homines, ut neceſſarium Bacchanaliorum uſum tueantur! Jejunium, & pœnitentia carniſprivii tempore obſervanda inter principes cauſas enumerantur ad flagitioſa hæc ſolatia probanda. Severa abſtinentia ſervanda eſt: dies quadraginta jejunandum eſt: igitur totidem præter propter dies in anteceſſum ſeveræ hujus abſtinentiæ rigores ſunt reparandi. Sancto quadrageſimali tempore peccatorum pœnitentia facienda eſt: igitur in anteceſſum ruere opus eſt in omnia vitiorum genera, innocentiam omnibus objicere periculis; cor ſexcentis criminibus polluere, ſenſibus ſuis effrænem licentiam laxare, voluptatibus omnibus ingurgitari, antequam hæc pœnitentia inſtituatur. Quadrageſimæ tempore chriſtiana vita ducenda eſt; hoc frugalitatis, ac ſanctimoniæ tempus vita prorſus pagana præveniendum eſt. Sancto eo dierum ſpatio Dei mandata erunt cuſtodienda; hæc igitur per hebdomades ſex, quæ præcedunt, violanda ſunt. Primo carniſprivii die capita noſtra erunt cineribus adſpurgenda; dum furunt Bacchanalia, omnia luxus ornamenta oſtendenda ſunt. Denique hoc pœnitentiæ tempore ſacræ audiendæ erunt conciones; igitur antequam hi pœnitentiæ dies adveniant, choreis, profaniſque ſpectaculis eſt indulgendum. Peculiarem ſibi cultum adhiberi Deus petit in quadrageſima, dæmoni ſaturnaliorum tempore præſtandum eſt, quod olim ab Ethnicis exigebat. Hæ ſunt cauſæ licentiæ illius, quam quiſque per hos intemperantiæ dies ſibi vindicat. Hoc pacto probare volunt conſuetudinem, quam vel minima Evangelii notio, vel leviſſima Religionis rudimenta proſcribunt, reprobant, damnant. Qualis error! Quam inſana dierum noſtrorum cecitas! *P. Croiſet in Spiritualibus Exercit. Tom. I.*

In Bacchanaliorum impudicitiis potiſſimum rurſus Salvator crucifigitur.

Si peccator iterum crucifigit ſuis criminibus Salvatorem, ſcelus hoc potiſſimum inter Bacchanaliorum licentiam committit. Licentia, quæ tunc temporis graſſatur; effrænis libertas, qua omnes impudentiſſime in omnia ruunt flagitia: inverecundia ſceleſtiſſimo abuſu probata, qua quiſque omnia ſibi licere putat illis omnis intemperantiæ diebus, haberi quodammodo poteſt, tamquam oſtentatio laxitatis, impietatis, nequitiæ, quæ nullum injicit ſcrupulum. Quam inferunt contumeliam id genus Chriſtiani Religioni ſanctiſſimæ, qualis noſtra eſt! Sed qua impudentia Religionem, Evangelium, & JESUM CHRISTUM in jocum, & opprobrium traducunt? Nonne hoc eſt palam iterare omnes ignominias, profanationes, opprobria paſſionis Dominicæ? Nonne hoc eſt in ludibrium vertere & veritates magis terribiles noſtræ Religionis, & JESU CHRISTI præcepta, & ſacratiſſima Evangelii dogmata? Mundus apertiſſimus Filii Dei inimicus per hæc ſcelera de ipſo Salvatore triumphat. Nonne dici poſſet, hanc eſſe ſpeciem publicæ a vera, & Catholica fide defectionis? Saltem hic eſſe videtur manifeſtus contemptus eorum omnium, quæ in JESU CHRISTI diſciplina puriſſima ſunt, atque ſanctiſſima. Nonne in choreis, ac ſaltationibus impie crucifigitur JESUS CHRISTUS per ea ſcelera, quæ ibi patrantur? Nonne in profanis hiſce ſpectaculis læditur Salvator per publica irreligionis, & licentiæ ſpiritui Evangelii oppoſita documenta? Nonne in mundanis his cœtibus, in voluptuariis hiſce ſocietatibus, in his aleæ academiis plerumque nocturnis, Barabbas mundi Salvatori palam præfertur? Nonne denique in his conviviis, unde ſemper exultat temperantia, in his parum Chriſtianis ſolatiis, quæ neceſſarii ſunt innocentiæ ſcopuli, in his nequiſſimis perſonatorum conventibus cum Apoſtolo dici poteſt, Dei Filium millies crucifigi? *P. Croiſet in Aſceticis Exercitat. Tomo I.*

Intemperantiæ dies ſunt occaſio lapſus peccatoribus & ſcandalũ juſtis.

Cyprian. Ep. I. ad Donatum.

Circumquaque oculos circumfer, & finge tibi videre, quidquid in mundo fit, tamquam in excelſum montem ſublatus, unde videre valeas quidquid accidit in terris. Vias latronibus repletas, maria piratis obſeſſa, exercitus ſanguinem, flammamque minitantes, foros cauſidicis refertos, atque ſibi invicem belluarium inſtar infenſos; vanarum, vel impudicarum mulierum orbes; juventutem vel corruptam pravis aliorum exemplis, quæ intuetur, vel alios corrumpere conantem ſuis; mortales veneno infectos propter tabidum aerem, quem reciprocant, & qui in unum ſocietatis corpus coaleſcere videntur, ut ſe majori cum furore perdant, non ſecus ac miſeri, qui in communi naufragio ſemet invicem complectentes ſubmerguntur. Hæc omnia primum occurrent animo tuo, & clamabis, quomodo fieri poteſt, ut ſalus in mundo fiat, vel ubi tunc etiam, cum magnæ adſunt ad virtutem propenſiones, mortales fiunt nequam, non ſine quadam ſpecie neceſſitatis, facientes ea, quæ a nefariis hominibus fiunt, ne illorum invidiam, odium, & irriſionem ſibi conflent, & ne ſoli in cauſa bona inveniantur. *Ex Hiſtoricis Sanctorum Elogiis Tom. I.*

Quam miſera ſors illorum eſt, qui cum aliquandiu guſtaverint Deum, ei bona fide deſervierint, & vere devoti aliis exemplo præfulſerint; quam miſera inquam ſors illorum eſt, cum ipſos vitæ hujus tædet, & a Dei ſervitute recedunt! Hi lapſus eo magis funeſti ſunt, quia fere ſemper ſunt mortales. In id genus Apoſtatis raro vera datur converſio. Illis, qui pietate deſerunt, idem accidit, quod illis, qui a fide deficiunt, quotuſquiſque ex his ad fidem revertitur? Non deſunt etiam, qui nequiores evadunt illis, qui genere ſuo ſunt infideles. Pauci ſunt pietatis deſertores, qui non ſtatim impingant in omnem licentiam, & plerumque palam, & gravi cum ſcandalo. Ægre quidem Dominus opus ſuum perdit, & amicum detrudit; non ita facile ejus iracundia contra dilectam animam inflammatur. Quot urgentes ſollicitationes adhibet, quot officioſas oblationes, ut prohibeat, ne illa ſe ſeduci permittat? At tandemne hanc animam pertæſum eſt ſervitutis Dei? Decrevitne Dominum mutare? deſertio hæc, atque rebellio fit ſemper magno cum rumore. Seu hæc ſit improba inimici ſalutis noſtræ nequitia, volentis recentem prædam in eum ſtatum adducere, unde nequeat ultra emergere; ſeu affectus ſit improbitatis cordis humani, quod tot timoribus, rationibus, ſtimulis fatigatum uno ictu tot obices ſuperare ſtudet, tot infringere vincula, & tot ſimul importuna lumina extinguere, ſtatim primo impetu in diſſolutiſſimam licentiam erumpitur. Sermones liberi, verba impia, Religionis irriſio; hinc fere initium ducitur, ut profiteantur ſibi nullam eſſe pietatem, & domino mutato mores etiam mutatos fuiſſe. Devotus, qui deſcivit a pietate, nullius rei rationem ſibi putat habendam, ne quis ſibi exprobret, quod fuit, ille prior, quid evaſerit, narrat. Impiæ illius irriſiones modo circa nimiam ſollicitudinem in officiis obeundis, modo circa frequentem ſacrorum myſteriorum uſum verſantur. Hic contra patrem vere Chriſtianum invehitur, illic contra Concionatorem vero ſuccenſum zelo furit. Fieri ne poteſt, ut ille, cui pietas non defuit, nec deeſt ratio, queat non videre, quantum ſibi ingerat probrum hæc mutatio in populo, cujus fabula factus eſt, & coram Deo, qui illum perhorreſcit? Proh Deus, quam longe recedit a te, qui a tuo cultu recedit! *P. Croiſet in Aſceticis Exercit.*

Ebrietas vitanda.

Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, inquit, Apoſtolus Eph. 5. quæ verba monitum ſimul, & documentum complectuntur. Monitum, vel potius juſſum eſt, intemperantiam, & vini exceſſum evitandum; documentum vero, vinum, ſi hauriatur immodice, ad luxuriam adducere; addit enim corporis vires pernicioſas, noxium calorem, carnale gaudium, audaciam præfidentem, & cum hoc gignit oblivionem Dei, rationem auferens, vel perturbans. Ob hos pravos effectus S. Aug. Ep. 93. ebrietatem peſtem appellat, vitium commune, cujus imperium admodum prævalet, & late patet. Utque hujus majorem horrorem infidelibus cieret, Apoſtolus addit, ex eo libidines, & impudicitias ortum habere; nam licet *luxuriæ* nomen deſumi poſſit pro omni intemperantiæ genere, notæ melioris interpretes, putant hic ſecundum Apoſtoli mentem indigitari impudicitiæ crimina, quæ plerumque ex intemperantia originem ducunt. *Tourneux in anno Chriſtiano.*

S. Cyprianus cauſas explicans, propter quas permittit Deus, ut ſui exagitentur, eas ita exponit. Quilibet in id unum intentus erat, ait, ut diteſceret, & oblitus quid primi Chriſtiani fecerant ævo Apoſtolorum, & quod ſemper eſſet faciendum, tanta flagrabat libidine augendi bona, ut ſe numquam ſatis divitiarum adepturum putaret. Nulla erat in Sacerdotibus pietas, nulla in Eccleſiæ miniſtris fides; nulla in moribus diſciplina, nulla in operibus charitas. Mulieres fuco faciem liniebant; viri comarum colorem mentiebantur, & artem in hoc conſtituerant. In eorum oculis, ac nictibus neſcio quid laſcivum deprehendebatur; multum calliditatis in verbis, ut ſimplicioribus fucus fieret, & ut viciſſim ultro citroque ſemet ipſos deciperent. Non ſolum ſine ulla neceſſitate jurabant, verum etiam pejerabant. Superiorum mandata intolerabili ſuperbia contemnebantur. Proximo obtrectare nemo verebatur, & odia internecina diu favebantur. Præſules plurimi, quorum erat verbo & exemplo populis pietatem ſuadere, divina negligebant, ſedem deſerebant, relinquebant gregem, & in remotiſſimas terrarum plagas ſe conferebant ad ſordida negotia, & dignitate ſua indigna procuranda. Nemo ſollicitus erat, ut fidelibus graviſſima egeſtate laborantibus ferret opem; aurum dumtaxat congerebatur; aliena bona ſurripiebantur; & multiplici fœnore propria augebantur. Hanc malorum ævi ſui tabulam ſanctiſſimus Præſul exhibet nobis, & utinam hoc quoque ævo ſimilia his mala non furerent. *Cardinalis Bellarminus de gemitu Columbæ.*

Publica potiſſimum ſcãdala intuiti Deo arctius inhærere debemus.

Abducemini Babylonem, idololatriæ centrum, in captivitate, dicebat Dominus Iſraelitis per os Prophetæ: videbitis in hac civitate populum inſipientem ſequi Deos ſuos conflatiles, atque lapideos, qui per compita, & vias magna cum pompa circumferuntur. Sed cavete, ne deteſtabile exemplum vos trahat; præbete mihi honorem debitum, ac taciti in corde veſtro dicite: *Te oportet adorari, Domine*; Baruch 6. Utamur iis præcautionibus, quibus utebatur Deus populum a mali exempli contagione præſervaturus: hoc enim non minimum eſt ſaluti obſtaculum illi præſertim, qui in ſæculo pluribus impedimentis implicitus eſt. Religio ibi a fundamentis concuſſa eſt; ſancta illius inſtituta ad ludibrium uſque impugnantur; cumque vel inviti ſimus horum teſtes ſcandalorum, in nobis ſitum eſt, utrum in eorum partem accedamus. Quod mundus in hæc mala ruat, in luxum effrænem, in turpiſſimam licentiam, in nequiſſimam impietatem; hæc illius ſunt idola; mirum videri non debet, ſi illis ſacrificat. Qui credit Evangelio, qui huic ſuos mores conformat, non ægrius ab his abſtinet flagitiis, quam ſi illa ab idolorum cultoribus patrari conſpiceret. Mirum ne videretur vobis intueri Ethnicos in omne nefas ruentes? Et illorum exemplum vobis eſſe debet cauſa, ut minus officia veſtra ſectemini? Eadem habetis arma contra ſcandalum, & idololatræ, & mali Chriſtiani; eædem veritates contra utrumque ſuſtinere vos debent: *Te oportet adorare, Domine. P. Segneri in Meditationibus.*

Licet ſcandalum eſſet generale, tunc glorioſum eſſet ſtare ſolum pro veritate & Religione.

Mundi ſcandalum periculoſa eſt tentatio propter numerum præbentium illud; ſed quo major eſt tentatio, eo glorioſius eſt fideli eam ſuperare. Cæterum periculi magnitudo non excuſat illos, qui cedunt; neque ulla vobis ſalus eſt, ſi vobis deeſt fortitudo reſiſtendi adverſum multitudinem inſipientum cultorum ſæculi. Licet omnes ſimul homines JESU CHRISTI diſciplinam conculcarent, horum tamen tibi exempla ſequi non liceret; tibique glorioſius eſſet, ſolum eſſe, qui ut olim Tobias Deum coleret, ſanctamque illius legem adoraret: *Cum irent omnes ad vitulos aureos* . . . . pergebat *in Jeruſalem ad templum Domini*. Tob. I. Præterquam quod conceptus ingentis hujus numeri mundanorum, cui tibi reſiſtendum eſt, phantaſma eſt quod non niſi imbecillimum animum terrere poteſt. Nonne teſtatur JESUS errantium ac pereuntium numerum multo majorem eſſe? Hujus veritatis certi, quin multitudinis timore deterriti in illius partem concedamus, nihil magis vereamur, quam ut in illa numeremur. Peccatores, inquit Propheta Pſalm. 48. ſe ſe præcipites dant in infernum, quin animadvertant, quo tendunt, ſimiles ovibus, quæ præcedentem ſubſequuntur. *Sicut oves in Inferno poſiti ſunt. Idem.*

Cum aliquamdiu in Dei cultu verſati ſumus, & tandem eo pervenimus, ut magnas Religionis veritates faſtidiamus, quamprimum earumdem obliviſcimur. Numquam parum aberramus, ubi bona via ſemel cognita, pertæſi ejuſdem ab illa recedimus. Quodnam morum, ſenſuum, vitæque diſcrimen inter eum, qui vere pius eſt, & eumdem, qui ſuæ indulgens libidini habenas laxavit? Quænam proximo ſcandali cauſa! Ad quem iniquitatis & nequitiæ gradum non pervenitur! Suavis, humilis, officioſus, beneficus (qui enim ſincere pius eſt, & Deo fideliter ſervit, haſce omnes obtinet qualitates) quam præfert omnibus in occaſionibus ſapientiam, prudentiam, probitatem! Matrona hæc magnis Religionis noſtræ veritatibus imbuta nulla afficiebatur lætitia, niſi ex ſolidæ pietatis praxi, & in mundo vivebat, quin mundi placita ſequeretur. Morum ſanctimonia, modeſtia, & in officiis ſuis obeundis cura præclaris ejuſdem virtutibus recentem afflabant decorem. Invidia ejus virtutem verebatur, & ab omnibus in mundo tamquam nobilis mulieris exemplum habe-